This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600071404M

EODEM EDITORE

Foliorum Silvula, Part I, being Select Passages for Translation into Latin Elegiac and Hexameter Verse. *Third Edition* 7*s.* 6*d*

Foliorum Silvula, Part II, being a Selection of Passages for Translation into Latin Lyric and Comic Iambic Verse. *Third Edition* 5*s*

Foliorum Silvula, Part III, being Select Passages for Translation into Greek Verse. *Third Edition* 8*s*

FOLIA SILVULAE, Latinè et Graecè versa. Vol. I. *Fasciculus* i, ii

Foliorum Centuriae, being a Selection of Passages for Translation into Latin and Greek Prose. *Third Edition* 8*s*

Aristophanis Comoediae Undecim cum Notis et Onomastico. Editio tertia

EQUITES cum adnotatione critica, ed. 3, 1*s.* 6*d*
VESPAE „ „ „ 2*s*

**M. T. Ciceronis de Officiis Libri Tres,* with Marginal Analysis and an English Commentary. Crown 8vo. 9*s.* 6*d*

**M. Minucii Felicis Octavius.* The Text newly revised from the only known MS., with an English Commentary, Analysis and Introduction. Crown 8vo. 9*s.* 6*d*

**Caesar Morgan on the Trinity of Plato,* a new edition revised. Crown 8vo. 4*s*

* *Edited for the Syndics of the Cambridge University Press*

Folia Silvulae

VOLUMEN PRIUS

Fas est et carmine remitti, non dico continuo et longo, sed hoc arguto et brevi, quod apte quantas libet occupationes curasque distinguit

PLIN. EPISTVL. vii 9

Folia Silvulae

SIVE

ECLOGAE POETARUM ANGLICORUM

IN LATINUM ET GRAECUM CONVERSAE

QVAS DISPOSUIT

HUBERTUS A. HOLDEN, LL.D.

COLLEGI SS. TRINITATIS QVONDAM SOCIUS

SCHOLAE REGIAE GIPPESVICENSIS MAGISTER INFORMATOR

VOLUMEN PRIUS

CONTINENS FASCICULOS I, II

BIBLIOTHECA BODLEIANA

CANTABRIGIAE

APUD DEIGHTON BELL SOCIOS

VENDUNT LONDINI BELL ET DALDY

M DCCC LXV

300. f. 15.

Typis academicis excudebat C. J. Clay, A.M.

LECTORI S.

VIDEO quidem me ab aliis actum praepostere agendi accusatum iri, qui post aliorum felices in hoc genere curas novos Musarum fetus in lucem protulerim; ab aliis inutile omnino opus condendi, quibus tantum est fastidium vetustatis, tanta novitatis velut prurigo ut quidvis facere malint, quam usitatis antiquorum itineribus insistere. Atque hi quidem, qui hoc morbo atque adeo hac insania laborant, sua sibi commenta habeant, me hominem e veteri disciplina veterum institutis uti patiantur. Est autem et aliud genus hominum qui soli sibi sapere videntur, cum ab huiusmodi exercitationibus dehortantur iuvenes tamquam ab operae oleique vano dispendio, qui tamen antiquitatis studiis iustum tribuunt honorem. Quibus illud libentissime largior, immo ultro profiteor, neque severioribus studiis anteponendam esse hanc elegantissimam omnium disciplinam sed in condimentum aliquod reservandam, neque omnibus studiosis commendandam: neque enim cuiusvis est in hac exercitatione multum proficere: opus est ingeni quadam

bonitate et vivido fervore animi, auriumque iudicio haud volgari: siqui autem sunt indole paulo erectiore, quam fructuosa sit iis haec Latine Graeceque vernacula carmina transferendi consuetudo longo usu edocti sumus. Neque intellegentia tantum ex hac et iudicium acquiritur, sed ad interiorem quoque veterum poetarum notitiam, 'unde, quidquid in hodiernis nitet linguis, colorem et speciem atque ipsum quasi sucum duxit[1],' viam optime munit.

Verumtamen, utut haec se habeant, in hoc saeculo earum scilicet artium quae huius vitae commodis inserviunt unice studioso refrixisse hanc et utilem et dulcem disciplinam non est quod miremur, quamquam in superioribus novimus dictatores et consules non solum in re literaria sed etiam in re publica quantum ei tribuerint honoris. Quotusquisque enim hodie est qui pariter atque illi summi viri adulescentiae lucubrationes intermissas revocet et in dulci veterum Camenarum commercio aut exercitationem ingeni aut oblectationem animi quaerat?

Spero igitur non minus utilem fore hanc operam meam adulescentibus, quam Graecae Latinaeque poeseos amantibus acceptam: imo affirmare ausim bonae nonnihil frugis hinc redundaturum, si modo incitamenti

[1] Verba sunt THEODORI KOCK, viri in his literis versatissimi, ex *Praefatione ad Goethii Iphigeniam Graece versam*, Berolini, 1861, p. xiii. Operae pretium est audire celeberrimum poetam SAVAGIUM LANDOR: 'Nemo' ait 'felici exitu poesin colet quamcumque nisi prius Romanam quae Graeciae est coluerit.' *Quaestio cur poetae Latini recentes minus legantur*, p. 347.

aliquid utique paucis praebuero ingenique igniculos excitaro ad huiuscemodi lusus temptandos.

In opere toto contexendo paulo aliter versatus sum pro meo consilio quam alii qui similes anthologias volgarunt; quippe nova cum antiquis conectere visum est et cum hactenus ineditis sparsim edita, undique conquisitis cuiuscunque saeculi, quae modo aliquid leporis habere viderentur, versionibus, etiamsi sicut CULEII Latina minus limatae essent et ad normam severam exactae: tum unam et alteram, interdum etiam tres et quattuor eiusdem eclogae interpretationes una repraesentavi, ut et inter exemplaria ipsa et eorum interpretationes et inter plures eiusdem carminis ab adulescentibus optimo cum fructu, adiuvante praeceptore, institueretur comparatio.

Quod sine anglico Textu e regione posito, has versiones in lucem emisi, vereor ut consilium meum tibi, Lector benevole, probaturus sim. Quippe nolebam volumen meum nimis excrescere, itaque carmina in ordinem recepta secundum Anthologiam carminum anglicorum nuper a me tertio editam, cui titulus *Foliorum Silvula*, qui liber adulescentium manibus teritur, ita disposui, ut primum Fasciculum constituant versiones eclogarum e prima eius libri parte excerptarum, alterum quae e secunda parte promuntur, deinceps in tertium collocentur quas tertia pars habet: ceterae omnes, adscriptis varii argumenti archetypis carminibus, ultimum sive quartum fasciculum occupent.

Duo igitur ex quattuor quos colligavi fasciculos trado tibi in manus; reliquos cum altero volumine propediem in lucem emissurus. Carmina autem habent purissimae nonnulla Latinitatis et luculenti, ut mihi videtur, ingeni: siqua autem Romanis auribus minus apta videantur aut plus aequo nasutorum expectationi parum respondeant, boni consulas velim.

Superest ut operis mei adiutoribus bene meritis generatim debitas gratias persolvam, nominatimque viro elegantis doctrinae IACOBO G. LONSDALE, qui mecum pro singulari humanitate plurima subsidia communicavit; nec minus adulescentibus utriusque linguae peritissimis ARTURO HOLMES et RICARDO C. JEBB: nec silere possum quid debeam amicitiae acerrimi horum studiorum cultoris HUGONIS A. I. MUNRO, cuius subacto iudicio et exquisita doctrina uti mihi contigit in aliquot (utinam vero pariter in omnibus contigisset) plagis corrigendis.

Dabam Gippesvici a. d. IIII Kal. April. *A. S.* MDCCCLXV



INDEX AVCTORVM

INCERTI

Fasc. I. 15, 36 (iii), 78, 88, 152 *a*, 153, 189, 238 (ii), 307, 308, 380, 393, 425, 439, 479, 480, 518, 609, 626, 712, 781, 789, 789 (ii), 808, 837, 838, 839, 840, 841, 850, 851, 852, 871, 872, 1029, 1035, 1085 (ii)

Fasc. II. 51 (iii), 57, 70, 113, 146 (ii), 298, 301, 375, 417, 428, 499 (iii)

ADDISON, IOSEPHVS (*nat. A. S.* 1672, *ob. A. S.* 1719)

Fasc. I. 924

ALDERSON, EDUARDVS HALL, A.M. Eques, Coll. Caiani Cant. quondam Socius, Quaestor fiscalis

Fasc. I. 105, 143, 178

AM-ENDE, I. IOACHIM GOTTLOB, S.T.P. Antistes Sacrorum apud Dresenenses

Fasc. I. 231

ANSTEY, CHRISTOPHORVS (*nat. A. S.* 1724, *ob. A. S.* 1805)

Fasc. I. 97 (iii), 632

ARNOLD, THOMAS KERCHEVER, A.M. olim Coll. SS. Trin. Cant. Socius

Fasc. I. 325 (ii)

ATTERBURY, FRANCISCVS, S.T.P. olim Episcopus Roffensis

Fasc. I. 694

BARBERINVS, MAPHAEVS S.R.E. Cardinalis, postea VRBANVS VIII Pontifex (*nat. A. S.* 1568, *ob. A. S.* 1630)

Fasc. II. 495, 499

BATHURST, THEODORVS, A.M. olim Coll. Pembrochiani Cant. Socius
Fasc. I. 892, 893, 1028

BENSON, EDVARDVS WHITE, S.T.B. nuper Coll. SS. Trin. Cant. Socius, Collegii Wellingtoniani Magister Informator ..... E. W. B.
Fasc. I. 643, 749, 805
Fasc. II. 36 (ii)

BISHOP, SAMUEL, A.M. olim Coll. D. Iohannis Baptistae Oxon. Socius
Fasc. I. 146, 147, 148, 149, 327

BLAND, HENRICVS, S.T.P. Collegi Etonensis Magister Informator (*A. S.* 1720), quondam Decanus Dunelmensis
Fasc. II. 511

BODE, IOHANNES ERNEST, A.M. Aedis Christi Oxon. quondam Alumnus ..... J. E. B.
Fasc. I. 130

BOLD, MATTHAEVS, LL.D. olim Aulae Trin. Cant. Socius
Fasc. I. 715 (iii), 972, 1043 (ii)

BOURNE, VINCENTIVS, A.M. olim Coll. SS. Trin. Cant. Socius (*nat. A. S.* 1695, *ob. A. S.* 1747)
Fasc. I. 117, 249, 345, 934

BROWNE, ISAACVS HAWKINS, A.M. Coll. Trin. Cant. olim Socius
Fasc. I. 721, 731, 745, 800, 867

BUCHANAN, GEORGIVS (*nat. A. S.* 1506, *ob. A. S.* 1582)
Fasc. I. 227 (ii)

BURTON, IOHANNES, S.T.P. olim Coll. Etonensis Socius
Fasc. II. 499 (ii)

BUTLER, GEORGIVS, A.M. Coll. Exon. quondam Socius, Coll. Cheltenham. Vice-Principalis ..... G. B.
Fasc. I. 168, 305 (ii), 729, 740, 759 (ii), 770, 773 (ii), 973 (ii)
Fasc. II. 179, 279, 280, 310, 363, 471

CALVERLEY, CAROLVS STUART, A.M. Coll. Christ. Cant. quondam Socius ..... C. S. C.
Fasc. I. 817
Fasc. II. 298

CLAY, CAROLVS IOHANNES, A.M. e Coll. SS. Trin. Cant... C. J. C.
Fasc. II. 47, 107

CONINGTON, IOHANNES, A.M. Latinarum litterarum Professor apud Oxonienses ..... J. C.
Fasc. I. 472, 592 (ii)
Fasc. II. 206, 308, 400

COWLEY, ABRAHAMVS, poeta celeberrimus, olim Coll. SS. Trin. Cant. Socius (*nat. A. S.* 1618, *ob. A. S.* 1667)
Fasc. I. 799, 842
Fasc. II. 193—197, 316, 317, 354, 361, 470

COWPER, GVILIELMVS, poeta celeberrimus (*nat. A. S.* 1731, *ob. A. S.* 1800)
Fasc. I. 19, 358

CURREY, GEORGIVS, S.T.P. Coll. D. Ioannis Cant. quondam Socius ..... G. C.
Fasc. II. 361 (ii)

DOBSON, GVILIELMVS, LL.B. Coll. Novi Oxon. olim Socius
Fasc. I. 232, 660, 667, 693, 710, 715, 749, 786, 901, 902, 906, 950, 1000, 1018, 1032, 1043 (iii), 1063, 1074, 1084

DOBSON, GVILIELMVS, A.M. Coll. SS. Trin. Cant. quondam Socius..... W. D.
Fasc. I. 728, 1025 (ii)
Fasc. II. 37, 149, 160, 278, 361

DRURY, HENRICVS J. T. A.M. Coll. Regal. olim Socius
Fasc. I. 2 (ii), (iii)

ELLIS, ROBINSON, A.M. Coll. SS. Trin. Oxon. Socius..... R. E.
Fasc. I. 208, 575, 576, 915
Fasc. II. 51 (ii)

ELWYN, RICARDVS, A.M. SS. Trin. Cant. quondam Socius, nuper Scholae Carthusianae Magister Informator ... R. E*.
Fasc. II. 51, 153

EVANS, THOMAS SANDERS, A.M. Coll. D. Ioann. Cant., Graecarum litterarum Professor apud Dunelmenses . T. S. E.
Fasc. I. 1000 (ii), 1060
Fasc. II. 111 (ii)
Auctarium, p. 388

FARRAR, FRIDERICVS GVILIELMVS, A.M. nuper Coll. SS. Trin. Cant. Socius, Scholae Harroviensis e Magistris Adiutoribus ..... F. W. F.
Fasc. II. 487

FLAMINIVS, MARCVS ANTONIVS, poeta celeberrimus, Forocorneliensis (*nat. A. S.* 1498, *ob. A. S.* 1550)
Fasc. II. 498 (ii)

GIFFORD, EDUINVS HAMILTON, S.T.P., olim Coll. D. Iohannis Socius, nuper Scholae Regiae Brimichensis Magister Informator ..... E. H. G.
Auctarium, p. 384, 392

GRAY, THOMAS, LL.B., Hist. hodiernae Prof. Cant. *A. S.* 1768, poeta celeberrimus (*nat. A. S.* 1716, *ob. A. S.* 1771)
Fasc. I. 26, 29, 35

GREEN, GVILIELMVS CAROLVS, Coll. Regal. Cant. quondam Socius ..... W. C. G.
Fasc. I. 938 (iii): *Fasc.* II. 306

GRENAN, BENIGNVS, Humanitatis Professor in Collegio Harcuriano *A. S.* 1715
Fasc. II. 501, 503, 504

GRENVILLE, Hon^mus^. Baro de (*nat. A. S.* 1739, *ob. A. S.* 1834)
Fasc. I. 2 (iv), 13, 226, 679

GRETTON, FRIDERICVS E. S.T.B., Coll. D. Ioann. Cant. quondam Socius ..... F. E. G.
Auctarium, p. 383, 393

GRÔTIVS, HVGO (*nat. A. S.* 1583, *ob. A. S.* 1645)
Fasc. I. 22, 30 (iii), 34, 37, 74, 89, 400 (iii), 485

GWATKIN, THOMAS, A.M. Coll. D. Ioann. Cant. Socius T. G.
Fasc. II. 258 (ii)

HALFORD, HENRICVS, Baronettus (*nat. A. S.* 1776, *ob. A. S.* 1844)
Fasc. I. 1, 3, 4, 10, 11, 18, 64, 169, 191, 367, 400, 579

HAMMOND, IACOBVS LEMPRIERE, A.M. Coll. SS. Trin. Cant. Socius ..... J. L. H.
Fasc. I. 740 (ii), 772 (ii), 805 (ii)

HARDINGE, NICHOLAS, A.M. Coll. Regal. Cant. quondam Socius (*nat. A. S.* 1699, *ob. A. S.* 1758)
Fasc. I. 789 (iii) : *Fasc.* II. 498 (iii)

HERBERT, HON. GVILIELMVS, LL.D. ex Aede Christi Oxon., olim Decanus Mancumiensis
Fasc. I. 146 (iii)
Fasc. II. 409 (iii)

HODGSON, FRANCISCVS, S.T.B. olim Coll. Eton. Praepositus
Fasc. I. 2, 4 (ii), 30, 367 (ii), 471, 502, 592 (iii)
Fasc. II. 161, 162, 163, 186—189, 344, 345

HODGSON, FRANCISCVS COTTERELL, A.M. Coll. Regal. Cant. Socius ..... F. H.*
Fasc. I. 968, 971

HOLDEN, HENRICVS, S.T.P. Coll. Ball. Oxon. quondam Schol., Scholae regiae Dunelmensis Magister Informator ..... H. H.
Fasc. I. 57, 158, 191 (iii), 192, 226 (iii), 227, 229, 268 (iii), 289 (ii), 400 (ii), 444 (ii), 561
Auctarium, p. 385—9, 400—2

HOLDEN, HVBERTVS ASHTON, LL.D. Coll. SS. Trin. Cant. quondam Socius, Scholae regiae Gippesvicensis Magister Informator ..... H. A. H.
Fasc. I. 5 (ii), 7, 12, 14, 16, 31, 32, 33, 39, 42, 45, 46, 48, 58, 59, 70, 71, 81, 82, 87, 91, 92, 93, 96, 102, 106, 115, 116, 117 (ii), 125, 126, 132, 133, 138, 141, 151, 156, 175, 183, 187, 190, 193, 196, 199, 202, 204, 213, 241, 244, 250, 252, 253, 263, 272, 294 (ii), 302, 306, 328, 329, 342 (ii), 366, 390, 392, 423, 424, 434,

437, 438, 454, 466, 488, 493, 498, 557, 563, 579 (ii), 612, 653, 654, 657, 668, 733 (ii), 790, 828, 843, 869, 874, 1071
Fasc. II. 34, 55, 62, 73, 99, 111, 168, 185, 199, 202, 225, 267, 271, 303, 304, 306 (ii), 307 (iii), 308 (ii), 329, 370, 400 (iv), 406, 421, 486

HOLMES, ARTVRVS, A.M. Coll. Clar. Cant. Socius et Tutor A. H.
Fasc. I. 254, 255, 405, 444 (iii), 611, 716, 1046 (ii)
Fasc. II. 184, 236, 258, 460

HORNBY, IACOBVS IOHANNES, S.T.B. Coll. Aen. Nas. Oxon. Socius ..... J. J. H.
Fasc. I. 191 (ii), 231
Fasc. II. 172, 173, 491

ISAACSON, IOHANNES FRIDERICVS, S.T.B. Coll. Div. Ioann. Cant. quondam Socius ..... J. F. I.
Fasc. I. 484 (ii)

JEBB, RICARDVS CLAVERHOUSE, A.M. Coll. SS. Trin. Cant. Socius et Praelector ..... R. C. J.
Fasc. I. 289, 460 (ii), 613, 770 (ii), 773, 833, 940, 1025
Fasc. II. 377, 515, 516

JERRAM, CAROLVS S., A.M. Coll. SS. Trin. Oxon. quondam Schol. ..... C. J.
Fasc. II. 47 (iii)

JACKSON, HENRICVS, A.M. Coll. SS. Trin. Cant. Socius... H. J.
Fasc. II. 14

JOHNSON, SAMVEL, LL.D. (*nat. A. S.* 1709, *ob. A. S.* 1784)
Fasc. I. 24, 281 (iii), 789, 945—949
Auctarium, p. 398

JONES, GVILIELMVS, M.A. Eques, Coll. Univ. Oxon. quondam Socius, Poeticae Professor (*nat. A. S.* 1746, *ob. A. S.* 1794)
Fasc. I. 117 (iii)

JONSTON, ARTVRVS, M.D. olim Coll. Reg. Aberdonensis Praeses (*nat. A. S.* 1587, *ob. A. S.* 1641)
Fasc. I. 341

JORTIN, IOANNES, S.T.P. Coll. Iesu Cant. quondam Socius (*nat. A. S.* 1698, *ob. A. S.* 1770)
Fasc. I. 26 (ii), 233, 242, 520, 570
Fasc. II. 474

KEBLE, IOANNES, A.M., poeta celeberrimus, quondam Poeticae Praelector apud Oxonienses
Fasc. II. 16, 264, 329 (ii)

KENNEDY, CAROLVS RANN, A.M. Coll. SS. Trin. Cant. quondam Socius ..... C. R. K.
Fasc. II. 452

KENNEDY, GEORGIVS IOANNES, A.M. Coll. D. Ioh. Cant. quondam Socius ..... G. J. K.
Fasc. I. 127, 168 (iii), 752

KERR, NELSONVS, LL.B. e Coll. D. Ioh. Bapt. Oxon.
Fasc. I. 97, 146 (ii), 264, 274, 329 (iii)

KYNASTON, HERBERTVS, S.T.P. Aedis Christi Oxon. quondam Alumnus, Scholae Paulinae Archididascalus ... H. K.
Fasc. I. 55
Fasc. II. 116, 395, 396

LANDOR, GVALTERVS SAVAGE (*nat. A. S.* 1754, *ob. A. S.* 1864)
Fasc. I. 801, 897

LAWSON, MARMADVCAS, A.M. Coll. Magd. Cant. quondam Socius, Senator
Fasc. I. 376 : *Fasc.* II. 415

LEE, SAMUEL, A.M. Coll. Christ. Cant. quondam Schol. ... S. L.
Fasc. I. 233 (ii), 408, 464
Fasc. II. 9, 72, 301 (ii), 342
Auctarium, p. 383

LELY (OSTLER), IOHANNES M., A.M. Coll. Magd. Oxon. quondam Schol. ..... J. M. L.
Fasc. I. 211, 255 (iii), 281 (ii), 620, 622
Fasc. II. 146, 270, 271 (ii)

LOFFT, CAPEL, A.M. Coll. D. Pet. Cant. (*nat. A. S.* 1751, *ob. A. S.* 1824)
Fasc. I. 489

LONSDALE, IOHANNES, S.T.P. Episcopus Lichfeldensis, Coll. Regal. Cant. quondam Socius
Fasc. II. 423

LONSDALE, IACOBVS GYLBY, A.M. Coll. Ball. Oxon. quondam Socius, Humanitatis Professor in Coll. Regal. Londin. ..... J. G. L.
Fasc. I. 154, 165 (ii), 177, 190 (ii), 196 (ii), 235, 238, 318, 325, 342, 719, 726, 764 (ii), 772, 781 (ii), 785, 877, 914, 921, 938 (ii), 993, 998, 1031, 1054, 1085
Fasc. II. 146, 181 : *Auctarium*, p. 389, 391

LOWTH, ROBERTVS, S.T.P. olim Episcopus Londinensis
Fasc. II. 6, 286, 488, 493, 496, 498, 505

LYTTELTON, BARO, LL.D., Coll. SS. Trin. Cant.
Fasc. II. 64

MACNAGHTEN, EDUARDVS, A.M. Coll. SS. Trin. Cant. quondam Socius ..... E. M.
Fasc. II. 54

MADDOX, R. Etonensis (*A. S.* 1756)
Fasc. II. 496 (ii)

MAINE, HENRICVS IACOBVS SVMNER, LL.D. Aul. Trin. Cant. quondam Socius ac Juris Prof. Regius, in Suprema apud Indos Curia Consiliarius ..... H. I. S. M.
Fasc. I. 499

MAITTAIRE, MICHAEL (*nat. A. S.* 1688, *ob. A. S.* 1747)
Fasc. I. 75, 76, 130 *b*

MALDEN, CAROLVS EDUARDVS, e Coll. SS. Trin. Cant. C. E. M.*
Fasc. I. 314

MARKBY, THOMAS, A.M. Coll. SS. Trin. Cant. quondam Schol. ..... T. M.
Fasc. I. 1059

MARVELL, ANDREAS, poeta celeberrimus (*nat. A. S.* 1620, *ob. A. S.* 1678)
Fasc. I. 440, 441, 835

MORVS, THOMAS, Vir Cl. (*nat. A. S.* 1480, *ob. A. S.* 1534)
Fasc. I. 25

MOULE, CAROLVS GUALTERVS, A.M. Coll. Corp. Christ. Cant. Socius ..... C. W. M.
Fasc. I. 143 (ii), 168 (ii), 222
Fasc. II. 30, 262

MOULE, HENRICVS C. G., A.B. Coll. SS. Trin. Cant. Schol. H.C.G.M.
Fasc. I. 448 (ii), 567, 609 (ii), 705, 881, 931
Fasc. II. 236 (ii), 400 (ii), 412

MUNRO, HVGO ANDREAS IOHNSTONE, A.M. Coll. SS. Trin. Cant. Socius, Lucretii Editor ..... H.A.J.M.
Fasc. I. 239, 460, 565, 592, 603, 605, 610, 624

MYERS, FRIDERICVS GULIELMVS H., A.B. Coll. SS. Trin. Cant. Schol. ..... F.W.H.M.
Fasc. I. 135, 135*a*, 905

OGLE, NEWTONVS, S.T.P. quondam Decanus Vintoniensis
Fasc. II. 482

PALEY, FRIDERICVS A., A.M. e Coll. Div. Iohann. Cant., Aeschyli Editor ..... F. A. P.
Fasc. II. 370 (ii)

POLITIANVS, ANGELVS (*nat. A. S.* 1454, *ob. A. S.* 1494)
Fasc. I. 30 (ii), 1078

POTTS, ALEXANDER GVILIELMVS, A.M. Coll. D. Ioh. Cant. Socius, Scholae Rugbeiensis e Magistris Adiutoribus A. W. P.
Fasc. I. 825

POWER, THOMAS, A.M. Coll. SS. Trin. Cant. quondam Socius
Fasc. I. 715 (ii), 733, 938, 972 (ii), 1043

RAPER, ROBERTVS GORDON, A.M. Coll. SS. Trin. Oxon. quondam Schol. ..... R. G. R.
Fasc. I. 184

RAYNES, GVILIELMVS, A.M. Coll. Clar. Cant. Socius et Tutor ..... W. R.
Fasc. I. 938 (iv)
Fasc. II. 322

RICHMOND, DOUGLAS CLOSE, A.M. Coll. D. Pet. Cant. Socius ..... D. C. R.
Fasc. I. 1005

ITH, ROBERTVS, A.M. Coll. Regal. Cant. quondam Socius (*A. S.* 1794)
Fasc. II. 520 (ii)

OW, HENRICVS, A.M. Coll. D. Ioann. nuper Socius, Scholae Etonensis e Magistris Adiutoribus ..... H. S*
Fasc. I. 1059 (ii)
Fasc. II. 307 (ii)

ANWELL, CAROLVS, A.M. Coll. Div. Io. Cant. Socius... C. S.
Fasc. I. 269, 282, 283, 759, 925, 1037

OKES, SCOTT NASMYTH, A.M. Coll. SS. Trin. Cant. quondam Schol. ..... S. N. S.
Fasc. II. 258 (iii)

DORIVS, NICOLAVS, in Curia Parisiensi Inquisitionum Praeses, *A. S.* 1582
Fasc. II. 401, 403, 404, 405, 409 (ii), 411

EISSIER, GEORGIVS FRIDERICVS DE, S.T.B. Coll. Corp. Christ. Oxon. quondam Socius ..... G. F. D. T.
Fasc. II. 198
Auctarium, p. 397

HOMPSON, D'ARCY GVLIELMVS, A.M. Coll. Pembroch. Cant. quondam Schol. ..... D'A. W. T.
Fasc. II. 244 (ii)

HOMPSON, HENRICVS, M.D. Coll. Div. Ioh. Cant. Socius H. T.
Fasc. I. 304

HRING, EDVARDVS, A.M. Coll. Regal. Cant. quondam Socius, Scholae Uppinghamensis Archididasculus.... E. T.
Fasc. I. 455, 770 (iii)
Fasc. II. 267 (ii)

HVANVS, IACOBVS AVGVSTVS (*nat. A. S.* 1553, *ob. A. S.* 1617)
Fasc. II. 504

ANSITTART, AVGVSTVS ARTVRVS, A.M. Coll. SS. Trin. Cant. quondam Socius ..... A. A. V.
Fasc. I. 1053

AKEFIELD, GILBERTVS, A.M. Coll. Ies. Cant. quondam Socius, Editor Lucretii (*nat. A. S.* 1756, *ob. A. S.* 1801)
Fasc. I. 97 (ii), 174

Folia Silvulae

FASCICULUS PRIMUS

FOLIA SILVULAE

FASCICULUS PRIMUS

1 *The lamb thy riot dooms to bleed to-day*

ANNE dapes quem iam poscunt epulaeque parandae,
provida si fuerit mens sibi, ludat ovis?
laetus ad extremum florentia pabula carpit,
lambit et armatas in sua colla manus.

H. HALFORD

2 *AD AMICVM DIE NATALI*

VAGITU resonas implesti, parvule, cunas,
laetus amicorum dum prope vultus erat:
vitam talis agas, ut tu sub limine mortis
ore geras risus ipse, fleantque tui.

F. HODGSON

II

CUM tibi distinxit natalem lacryma lucem,
risimus ad cunas, laeta caterva, tuas;
vive ita, ut extrema dum rides suaviter hora,
distinguat socias lacryma fusa genas.

H. J. T. DRURY

III

CUM natalibus, o beate Sexti,
tuis adfuimus caterva gaudens,
(vagitu resonis strepente cunis)
in risum domus omnis est soluta.
Talis vive, precor, beate Sexti,
cum mors institerit toro cubantis,
ut, circum lacrymantibus propinquis,
solus non alio fruare sensu.

H. J. T. DRURY

IV

ἄρτι γεγὼς κλαυθμῶν ἐξήρχεο δακρυοέντων,
γηθοσύνῃ δὲ φίλοι σός τ' ἐγέλασσε πατήρ·
ὡς δὲ βίον διάγοις, ὡς δὴ θανάτοιο παρόντος
εἴη σοὶ τὸ γελᾷν ἄμμι δὲ δακρυχέειν.

GRENVILLE

Ere sin could blight or sorrow fade

ANTE nefas gemmae quam decussisset honorem,
aut possent curae surripuisse decus,
leniter ad caelum facili mors transtulit ictu,
inque suo iussit sese aperire solo.

H. HALFORD

The envious snows came down in haste

INVIDA nix alpina Chloes candoris in ipsum
descendit nudum praecipitata sinum,
tum victae aspectu, 'quin o, quin cedimus,' aiunt,—
continuo in lacrymas dissolüere nives.

H. HALFORD

II

INVIDA nix teneris certatim illabitur ulnis,
se iactans niveo purius ire sinu:
at gemit obscuros meliori in luce colores,
et vitream lacrymis it resoluta viam.

F. HODGSON

5 *The adorning thee with so much art*

SEDULA quod tanta decoraris Cynthia cura,
barbarica nobis pectora fraude petis:
tale venenata fert cuspide vulnus arundo,
apta nimis dandae quae fuit ante neci.

C. B. S.

II

ARTEM, Cynthia, factitas cruentam,
quae tanto cumules decore formam,
ultro vulnificam nimis sagittam
tingis letifero tamen veneno.

H. A. H.

III

QVAE decorat tanta Neobulen arte, videtur
praedita crudeli calliditate manus:
tela velut Parthus studeat tinxisse veneno,
tela quidem miserae iam nimis apta neci.

H. S.

7 *Sweet is love and sweet is the rose*

DULCIS amor pariter, pariter rosa dulcis; utrique
spina sua est, Lyde, flos et utrique suus:
femineoque ferox in pectore fastus amorem
enecat, ut perimunt flabra borea rosam.

H. A. H.

10 *Me let the tender office long engage*

SIT pia cura mihi longum invigilare senectae,
et matri somnos conciliare leves;
qua possim eluctantem animam leni arte morari,
et dulci alloquio fallere mortis iter;
explorare velit quid mens incerta, cavere
in caelum ut redeat serior una parens.

H. HALFORD

11 *Cold on Canadian hills or Minden's plain*

STRICTA gelu lacrymisque madens post praelia mater
infantem tenero dum fovet alma sinu,
vulneribus caesum dolet heu! viduata maritum,
et tam dilecto se superesse viro:
incumbit puero lacrymans, puer inscius ipse
combibit admixtum lac lacrymasque simul,
ah, puer, ah! luctus praesagia certa futuri,
nasceris in lacrymis et moriere miser.

H. HALFORD

12 *Statesman, yet friend to truth! of soul sincere*

FIDUS, amans veri, dum publica munia obibat,
et liquida morum simplicitate fuit,
promissique tenax; sua commoda largus omisit;
nec titulis auctus; sat meruisse fuit;
maior amicorum invidia; quam vivus amabat,
prosequitur lacrymans laude Camena pia.

H. A. H.

13 *Underneath this sable herse*

HOC sub marmore conditur
illa et perpetui munere carminis
digna et flebilibus modis,
illa et Pembrochii mater et inclyti
Sidneii soror: huic parem
aut forma aut animo aut nobilioribus
pulcri dotibus ingeni
nullam, mors, poteris caedere victimam,
donec te quoque temporis
strages ulta tuas conficiat manus.

GRENVILLE

14 *Devouring time with stealing pace*

PRAEDATRIX aetas procero stipite quercus
furtivaque cedros sternit ubique fuga;
marmoreas sternit turres et aënea claustra
portarum: quid non aequat avara solo?
cuncta sed ut late circum consumat, amorem
scilicet haud animo dissociare valet.

H. A. H.

15 *AD HERACLITVM DEFVNCTVM*

HERACLITE, tuam mortem ut mihi dixit amicus
continuo lacrymis immaduere genae:
ut memini quoties sub aprico sole iocati
simus: et in cineres nunc abiere ioci:
sed Philomela tamen vivit tua Musa, nec illi
mors rerum domitrix iniicit atra manus.

16 *O woman, in our hours of ease*

FEMINA, dum vacuas laeti consumimus horas,
morosa es nimium difficilisque viris:
dissimilisque tui: non tam mutabilis umbra
populea incerto solicitante noto;
quum dolor adductam contristat curaque frontem,
tunc ades a leni missa ministra Deo.

H. A. H.

17 *DE MIRABILI VRBE VENETIIS*

VIDERAT Hadriacis Venetam Neptunus in undis
stare urbem et toto ponere iura mari:
'nunc mihi Tarpeias quantum vis, Iupiter, arces
obiice et illa tui moenia Martis,' ait:
'si pelago Tibrim praefers, urbem aspice utramque,
illam homines dices, hanc posuisse deos.'

J. SANNAZARIVS

18 *DVM VIVIMVS VIVAMVS*

CARPE voluptates et, dum licet, arripe luxus
quot ferat aura fugax; sic Epicurus ait:
carpe diem, magna testatur voce sacerdos:
et totum corpus cede animamque Deo:
sit tua iussa sequi, Deus, o mihi summa voluptas,
tum laudem monito laetus utrique dabo.

H. HALFORD

19 *IN MILTONVM*

TRES tria sed longe distantia secula vates
ostentant tribus e gentibus eximios:
Graecia sublimem, cum maiestate disertum
Roma tulit, felix Anglia utrique parem:
partubus ex binis natura exhausta coacta est,
tertius ut fieret, consociare duos.

G. COWPER

22 *IN MENANDRVM*

INFUDERE tibi nectar de floribus ortum
Pieridum campos quae populantur apes:
sermonis facilem, qualem vult fabula, ductum
gratia donavit trina, Menandre, tibi:
perpetuum vives: quae de te surgit Athenis
gloria, caelestes venit ad usque domos.

H. GROTIVS

24 *VIRTVS SOLA STABILIS*

PROSPERA sors nec te strepitanti turbine tollat,
nec menti iniiciat sordida cura iugum;
nam vita incertis incerta impellitur auris,
omnesque in partes tracta, retracta fluit:
firma manet virtus; virtuti innitere, tutus
per fluctus vitae sic tibi cursus erit.

S. JOHNSON

25 Τὸν θάνατον τί φοβεῖσθε τὸν ἡσυχίης γενετῆρα

QVAM stultum est mortem matrem timuisse quietis,
quae pellit morbos pauperiemque fugat,
sola semel miseris quae se mortalibus offert,
nec quisquam est ad quem mors iterata venit:
at reliqui morbi varii multique vicissim
nunc hunc nunc illum terque quaterque premunt.

T. MORVS

26 Πέμπω σοι, Ῥοδόκλεια, τόδε στέφος, ἄνθεσι καλοῖς

HANC tibi Rufinus mittit, Rodoclea, coronâm
has tibi decerpens texerat ipse rosas;
est viola, est anemone, est suave rubens hyacinthus,
mistaque narcisso lutea caltha suo:
sume: sed aspiciens ah fidere desine formae;
qui pinxit brevis est sertaque teque color.

T. GRAY

II

MITTO tibi haec, Rodoclea, virentia serta virenti:
texuit haec solo docta ab Amore manus,
narcissumque rosamque legens, mollemque anemonem et
candida caeruleis lilia cum violis:
indue et haec et mitem animum; florem esse memento,
pulcrior his qui sit, forsitan et brevior.

J. JORTIN

29 *IN AMOREM SOMNO SOPITVM*

ITUR in Idalios tractus, felicia regna,
fundit ubi densam myrtea silva comam:
intus Amor teneram visus spirare quietem,
dum roseo roseos imprimit ore toros;
sublimem procul a ramis pendere pharetram,
et de languidula spicula lapsa manu,

vidimus, et risu molli diducta labella
murmure quae assiduo pervolitabat apis.

T. GRAY

30 *IN AMOREM ARANTEM*

LAMPADE compressa positoque Amor improbus arcu
flexit aratores sub iuga panda boves:
et stimulo insurgens peraque indutus agresti
semina materno sparsit alenda solo;
suspiciensque polum: 'mi Iupiter, annue messi,
ne mittam Europae te sub aratra bovem.'

F. HODGSON

II

PERAM humeris habilem posito nunc induit arcu,
et posita baculum lampade sumpsit Amor:
subque iugum missos stimulo citat ecce iuvencos
improbus, et cultae semina mandat humo:
suspiciensque polos, 'imple,' inquit, 'Iupiter arva,
ne cogam Europae te iuga ferre bovem.'

A. POLITIANVS

III

RUS petiit positis arcu facibusque Cupido:
virga manu, tergo pendula pera fuit:
hoc habitu sulcos glebae Cerealis arabat,
gnavus, agens domitos sub iuga curva boves:
respiciensque Iovem: 'terras,' ait, 'ignibus ure,
ne bos Europae tu quoque factus ares.'

H. GROTIVS

31 *EPITAPHIVM IN SOPHOCLEM*

MOLLE hedera in Sophoclis serpas mihi, molle sepulcrum,
et virides circum flecte profusa comas;
flore rosae passim vigeant, umbraculaque addat
pampinus et multo palmite laeta tegat;

mellito eloquio vates hunc poscit honorem,
argutus Charitum Pieridumque comes.

H. A. H.

32 *Even such is time that takes on trust*

TALIS es ergo aetas—quum mutua gaudia nobis
sumpseris et vitae ver geniale novae,
omne quod est—senium nihil heu! nisi triste rependis,
parvaque quae siccus corpora pulvis habet:
emensosque viam tumuli caligine claudens,
huc redeat vitae fabula tota facis:—
at, nisi vana fides, erit hoc ex pulvere quondam
ut Deus in superas me levet usque domos.

H. A. H.

33 *Fade, flowers, fade, nature will have it so*

MARCETE, o flores; haec lex mortalibus una est;
marcete; auctumnus nos quoque noster habet:
sicut humi vobis folia arida facta quiescunt,
cultore et raro damna querente iacent:
nos itidem debemur humo, flebuntque caducos,
queis usus placuit noster, amica manus:
moribus at vivas urtica aut spina, perempti
nullus erit tua qui funera flere velit.

H. A. H.

34 *IN ANACREONTEM*

CINGAT, Anacreion, quadruplex tua busta corymbus,
et quae vernantes purpura vestit agros;
fontibus emanet nivei bona copia lactis,
fundat odorati pocula terra meri,
ut cineres habeant quo delectentur et ossa,
si quid dulce tamen manibus esse potest:
o cui cara fuit semper lyra vitaque amores
inter et argutos velificata modos!

H. GROTIVS

35 *IN MEDEAE IMAGINEM NOBILE TIMOMACHI OPVS*

EN ubi Medeae varius dolor aestuat ore,
iamque animum nati iamque maritus habent:
succenset, miseret, medio exardescit amore,
dum furor inque oculo gutta minante tremit:
cernis adhuc dubiam; quid enim? licet impia matris
Colchidos, at non sit dextera Timomachi.

T. GRAY

36 Τὸν κλέπταν ποκ' Ἔρωτα κακὰ κέντασε μέλισσα

DUM cellas vexat digitis furtimque pusilla
surripit argutus mella Cupido manu,
parca operis vindex securum et plura parantem
verrere saeva fero vulnere fixit apis:
excutit ille hostem, ac terram pede pulsat, et udo
ter quater incensam perflat ab ore manum:
ignea tum lacrymans ostendit vulnera matri
singultans pressis blaesa superciliis;
quodque adeo tenui saevisset barbara telo,
tantula sit tanti vulneris auctor apis:
cui ridens genetrix: 'ne me his incesse querelis:
tu quoque tam parvus vulnera quanta facis!'

J. C. SCALIGER

II

DUM praedatur Amor manantes nectare ceras
aërio, digitos improba punxit apis:
ille dolens sufflare manum, terraque recussa
exilit et matri saucia membra refert:
et conquestus, apes quod parvae cuspidis ictu,
quamlibet exiguae, vulnera tanta darent:
'nonne et apum similis tu?' retulit illa renidens;
'quamlibet exiguus vulnera quanta facis!'

J. WINDETT

III

DUM violas inter nectebat serta Cupido,
parvula sub digito fixit acumen apis;
continuo manibus violae cecidere remissis,
et dolor infamem torquet et ira Deum,
indignans lacrymis Cythereae narrat obortis
quam levis huic hostis, quam grave vulnus erat:
cui dea: 'tu fili levis es minimusque deorum,
vulnera nulla tamen sunt graviora tuis.'

J. H.

37 *Ἀκρὶς ἐμῶν ἀπάτημα πόθων παραμύθιον ὕπνου*

QVAE somnum locusta creas mihi, fallis amorem,
ruris Musa, fidis cui vice penna sonat,
excute facundas pedibus titubantibus alas,
dulcia nativa carmina finge lyra:
ut mea per vigiles requiescant pectora curas,
vincaturque tuis ipse cupido modis:
matutina tibi dabo munera sectile porrum,
et teneras, oris pabula, roris aquas.

H. GROTIVS

39 *Like the gale that sighs along*

ASSYRIOS qualis flores super aura Favoni
suspirans grato carpit odore viam,
talis melliflui delabitur aura canoris
auditi quondam candidiore die:
dives odoris adhuc spirat neque desinit aura,
quanquam ipsi flores succubuere neci:
sic, ubi laetitiae perierunt somnia fluxae,
excidere haec animo musa chelysque vetant.

H. A. H.

42 *AD DELIAM*

CUM cuperem dignum tibi, Delia, pangere carmen
ad Tamesin lauros inter Apollineas;
decerpsi virgam: sed vultum contrahit ipse
invidus et lauri ponere furta jubet:
'meque meosque adeo vin' perdere,' clamat, 'amores?'
huic ego, 'num Daphnen laedere posse datur?'
'falleris in domina,' pergit deus, 'improbe, nostra:
Daphne arbor tantum est, Delia noster amor.'

H. A. H.

45 *The mistie clouds that fall somtime*

UT nebulae caelum corrugant saepe serenum,
ridentes hebetant sic mala nube genas:
utque abeunt sicci Phoebo os referente vapores,
nubila sic animi gratia dia fugat.

H. A. H.

46 *Forgive, blest shade, the tributary tear*

DA veniam, pravo si egressam flemus ab orbe,
da veniam lacrymis officioque pio:
da veniam votis si te revocamus euntem
et recipi aetheriis nolumus, umbra, plagis:
debuimus potius gaudere, quod hospita caeli
liqueris effetum libera carne diem;
debuimus gaudere, et iam clarissima lucis
limina praemissam mente animoque sequi.

H. A. H.

48 *As streams that run o'er golden mines*

MURMURE ceu tenui super auri lympha fodinas
furtivam carpit dum pudibunda fugam,
subter opes niteant quantae nescire videtur,
illimi lateant quam pretiosa vado:

dic quibus illa modis possit mulcere dolorem,
qua labem infelix eluat arte mali:
infelix! qua sola gravem lenire dolorem,
effugere opprobrium, dissimulare nefas,
flectere periuri malefidum pectus amantis,
et lacerare potest, ars ea sola—mori.

H. HALFORD

II

CUM nimium formosa admisit femina culpam
seraque fallaces invenit esse viros;
quae poterit maculas ars detergere pudoris?
sanabit laesum quae medicina iecur?
est quo dedecoris condas velamine labem,
est veniam culpae quo mereare tuae;
est quod amatoris seros in corde dolores
ingerat et frangat pectora dura—mori.

H. S.

70 *Sweet, be not proud of those two eyes*

NE iubar istarum iactes, mea vita, genarum,
scintillant geminis quae velut astra polis;
neve ferox gaude tot corda domasse procorum,
ipsa immunis adhuc indocilisque iugi;
est coma pulcra tibi: sed tu ne crine superbi,
cuius in amplexus aura proterva ruit;
gloria vana nimis! quoniam ruber iste lapillus,
qui tibi de molli pendulus aure nitet,
ipse superstes erit pretiosaque gemma manebit,
in cinerem veneres postquam abiere tuae.

H. A. H.

71 *Weep no more nor sigh nor groan*

QVID gemis et lacrymas? suspiriane ulla dolentis
posse putas lapsos conciliare dies?
en semel avulsos nativo a caespite flores
non reficit verna fertilis auster aqua:

impexas compone comas, exporrige frontem:
  scire nefas Parcae qualia fila neant:
gaudia cur propere fugiunt ut somnia noctis,
  et dolor ignava macerat ora mora?
vulnus alit nimius dolor immedicabile: vanis
  pone aliquem lacrymis, pone, puella, modum.

H. A. H.

74 *Δάκρυά σοι καὶ νέρθε διὰ χθονὸς Ἡλιοδώρα*

IPSAM subter humum monumenta fidelis amoris
  has mitto lacrymas, Heliodora, tibi:
heu dignas lacrymis lacrymas! ad flebile bustum
  haec tibi amicitiae pignora certa fero:
nam misere, nimium misere Meleager ademptam
  te gemo: sed gemitus nil Acheronta movent.
Ah! ubi dilectus mihi flos meus? abstulit orcus,
  abstulit: in cinerem corporis ivit honos:
at tu depositum placide complectere nostrum,
  maternoque fove, te rogo, terra sinu.

H. GROTIVS

75 *Ποίην τις βιότοιο τάμοι τρίβον; εἰν ἀγορῇ μέν*

QVEM vitae teneas callem? nam cuncta molestis
  sunt fora litigiis plena: domique graves
curae adsunt; et rure labor; super aequore saevo
  mille pericla: metus, siquid habes peregre:
paupertas tristis; vita anxia vita mariti;
  si malis caelebs vivere, solus eris:
nati solicitant, sine natis orbus haberis;
  mente iuventa caret, robore canities:
alterutrum ergo optes, aut nunquam in luminis auras
  venisse, aut natus morte repente frui.

M. MAITTAIRE

76 Παντοίην βιότοιο τάμοις τρίβον· εἰν ἀγορῇ μέν

QVOD mavis, vitae genus excole: curia famam
prudentis poterit conciliare: domi
tuta quies; in agris naturae gratia: lucrum
dat mare; laudaris si quid habes peregre:
pauper es, id solus nosti; cum coniuge vivas,
grata domus: careas coniuge, cura minor:
gaudia dant nati: vives minus anxius orbus:
dos propria est iuvenum vis, pietasque senum:
cur cupis esse ortus nunquam aut obiisse repente?
vita tibi felix quaelibet esse potest.

M. MAITTAIRE

78 *What though no weeping loves thy ashes grace*

QVID si nulla tuos imitentur marmora vultus,
nec fletu decoret funera maestus Amor;
si te nulla sacri capiat vicinia templi,
nenia sollenni murmure nulla gemat?
at tibi ridebit nascenti flore sepulcrum,
at te terra levi cespite verna teget:
hic primas rediens lacrymas aurora reponet,
sparget odoratas hic rosa prima comas;
caelicolumque cohors niveis tutabitur alis
haec loca reliquiis facta beata tuis.

81 *The colour from the flower is gone*

FLOS periit solitumque nequit iactare colorem;
dedidicit risus, cara, referre tuos;
flos periit, solitum mihi nec iam spirat odorem;
reddere nunc animam desiit ille tuam:
pallidus e viridi, formaeque et sanguinis expers,
languet in hoc viduo futilis umbra sinu:
et mihi factus hebes iam frigore pectora ludit,
pectora quae solito nunc quoque amore calent.

Illacrymo: nequeunt lacrymae recreare iacentem:
  suspiro: non iam spirat ut ante mihi:
qui tacitus nulla patitur flos fata querela,
  nonne meae speciem sortis habere rear?

H. A. H.

82 *The night of sorrow now is turned to day*

IAM lux post tenebras, laetum post triste; recludit
  iam dea caeruleas datque videre genas;
gratior haud Phoebus roseum redivivus honorem
  exserit et terras luce calore fovet;
nec rutilo splendet caelum mage solis ab ortu,
  quam iubar ex oculo fulget in ore deae:
fulget in ore deae, puerique impubis in ora
  figitur, hinc tanquam venerit ille nitor:
non alias tali coiere nitore gemellae
  hinc atque inde faces: hic modo nube vacet:
at divae vitreas perlucent lumina guttas,
  Cynthia nocturnis quale refulget aquis.

H. A. H.

87 *There is no flock however watched and tended*

QVALIBET upilio cura tueatur ovile,
  una tamen leto polluit agna gregem;
arma nec ulla valent Libitinae arcere rapinam,
  quin aliquo spoliet quemque sodale focum;
non soli abreptos gemimus: sed planctus ubique,
  plenaque funereis congemit aura sonis:
incumbens querulo genetrix non una feretro
  insolabiliter pignora adempta dolet:
nos adeo duremus et aequâ haec mente feramus:
  non hominum quisquam talia damna creat:
saepe salutiferi dedit indulgentia praesens
  Numinis, ut nubes celat opaca iubar.

H. A. H.

88 *IN NAVTILVM*

QVONDAM ego concha fui; Zephyritis Cypria nunc me
diva Selenaees munera prima tenet:
navita dicebar piscis: si flabra faverent,
innabam proprio vela rudente movens:
aëre tranquillo vectabar in aequora remis,
conveniens rebus sic mihi nomen erat:
me tandem eiecit prope litus Iulidos aequor,
ut tibi sim lusus, nobilis Arsinoe,
neve mihi rursus, quando iam vita recessit,
Alcyone partus det, velut ante dedit.
Clinias Aeolidos Smyrnes vovet incola: recti
illa tenax, grates postulat illa tuas.

89 *DE IMAGINE OCCASIONIS*

TU quis es hic qui stas? Occasio. Quis tibi fictor? Lysippus. Cuias? De Sicyone satus.
Nitere cur pedibus summis? Amo currere. Pennae
cur pedibus? Venti turbine rapta volo.
In dextra cur ista novacula? Monstrat acutam
haec esse et ferro me magis et Chalybe.
Cur in fronte coma est? Apprendar ut obvia. Sed cur
omnis abest glabro crinis ab occipite?
Nempe quod eripui cum me semel alite cursu,
nemo erit elapsam qui revocare queat:
hanc operam fictor propter vos sumpserat, hospes,
pro monito starem semper ut ante pedes.

H. GROTIVS

91 *NVBES*

FLORIBUS induco gratos sitientibus imbres,
quos maris aut fluvii mittit abunde vapor:
doque leves foliis iam languescentibus umbras,
sopitis medio, quum silet aura, die:

roscidus excutitur pennis mihi caelitus humor,
  unde ineunt vitam germina quaeque novam:
germina materno sopita in pectore terrae,
  dum solem circum perficit illa choros.
Incutitur grando terris: ego molior ictus,
  unde fit e viridi candida subter humus: 10
in pluviam resoluta redit mox: ipsa resolvo:
  si tonat, est risus murmur id omne meus.
92 Uvida progenies ego sum telluris et undae,
  hinc aër nutrix excipit alma sinu:
pervius oceanus mihi, pervia litora: mutor,
  at nihil in me mors iuris habere potest:
namque ego post pluviam, quum nulla labe renidet
  purgati facies inviolata poli,
quum venti et radii convexa luce videntur
  me sine caeruleum sustinuisse tholum, 20
ipsa meum ridens contemplor inane sepulcrum,
  condita sed quamvis condita, viva tamen:
et specubus pluviis, utero ut puer umbrave busto,
  exorior: moles ilicet illa perit.

H. A. H.

93 *She passed away like morning dew*

VANUIT, ut tenera ros matutinus ab herba
  ante novo quam Sol calfacit igne polum;
vix ea, quale esset suspiria ducere, novit,
  aetatis spatium tam breve fata dabant:
ambiit officiis amor et pia cura diurnis,
  non aliter florem quam suus ambit odor;
multi illam pueri, multae coluere puellae,
  dum tacito obrepsit mors inopina pede:
praestite tuta fuit, dum vixit, amore puella;
  donec amor leto tradidit ipse suam:
non amor huic nocuit, cur formidemus ademptae,
  ne mors innocuae plus nocuisse velit?

H. A. H.

96 *O hush thee, my babie, thy sire was a knight*

CARE puelle tace; forti genitore creatus,
care tace, pulcra matre creatus eras!
et nemora et saltus, quosque hinc ab turre videmus,
scilicet hos omnes iure tenebis agros.
Siste metum: quid si tuba raucior impleat aures,
custodes somni provocat illa tui:
lunarent arcus, et caede rubesceret ensis,
ante tuum invadant quam fera tela torum;
care puelle tace: mox advenit hora, soporem
quum medium abrumpent tympana voxque tubae:
care tace, et leni, dum iam licet, utere somno:
arma ferent anni, ut somnia mane fugat.

H. A. H.

97 *EPITAPHIVM*

HIC auri famaeque inopem iuvenilibus annis
raptum sub tacito cespite celat humus;
natales illi invidit sapientia claros,
signavit puerum lugubris hora suum:
quae tenuit, puro est largitus pectoris aestu,
hinc tulit admissa praemia morte Deus:
pauperibus pauper lacrymae munuscula fudit,
ex spe divinam nactus amicitiam:
hinc neque virtutes nimium depromere quaeras,
nec vitia excussa solicitare sera:
spe tremula pariter, pariter terrore quiescunt,
in placidos Summi Patris itura sinus.

NELSONVS KERR, 1802

II

HIC reclinatus caput hospitali
in sinu terrae iuvenis quiescit;
ille fortunae, popularis ille
nescius aurae.

Infimum vultu genus insolenti
musa non vidit nec inauspicato:
et suum tristis voluit vocari
solicitudo.

Indoles illi bene larga: sedem
veritas istam sibi vindicavit:
et pari tantis meritis beavit
munere caelum.

Ille (nil ultra potuit) misertus
fudit aerumnae lacrymam: recepit
dulce (nil ultra voluit) fidelis
munus amici.

Ceteras sed tu fuge curioso
velle virtutes oculo retectas:
a sua culpas fuge velle tractas
sede tremenda:

sede virtutes pariterque culpae
spe tremiscentes recubant in illa;
in sui Patris gremio, tremenda
sede, Deique.

GILBERTVS WAKEFIELD, 1776

III

NEC famae neque notus hic quiescit
fortunae iuvenis, super silenti
telluris gremio caput reponens:
non cunas humiles laremque parvum
contempsit pia musa, flebilisque
iussit Melpomene suum vocari:
huic largum fuit integrumque pectus,
et largum tulit a Deo favorem:
solum quod potuit dare, indigenti
indulsit lacrymam; Deusque amicum,

quod solum petiit, dedit roganti.
virtutes fuge curiosus ultra
scrutari: fuge sedibus tremendis
culpas eruere, in Patris Deique
illic mente sacra simul repostae
inter spemque metumque conquiescunt.

CHRISTOPHORVS ANSTEY, 1782

102 *Her tears fell with the dews of even*

VIRGINIS ora madent, simul humida roribus arva,
siccatis nondum roribus ora madent:
non veniente die, non decedente valebat
lumina sub caeli dulce levare iubar:
non avis excubitor nocturna silentia rumpit,
quin ea pervigili senserit aure sonum:
sive monet reducis gallus primordia lucis,
bucula de vasta sive palude gemit,
non surdas pepulere aures: deperdita et exspes
visa quoque in somnis ferre referre pedem,
evocat auroram gelidae dum spiritus aurae
circum deserti stagna inamoena laris.

H. A. H.

105 *She dwelt among the untrodden ways*

SEMOTA latuit cavaque valle,
qua Dovae gracilis susurrat unda,
virgo nec variis procis petita,
nec laudata levique nota vulgo:
sic densa viola abditaque silva
floret semisepulta; sic tenebras
inter stella micat novumque nocti
addit sola decus. Tuum sepulcrum
nescit, Lucia, turba, nescit horam

mortis, cara, tuae: sed heu! doloris
quanti restat onus mihi relicto.

E. H. ALDERSON

II

VIRGO recessus incolebat avios
nascentis ad Dovae caput,
nullius unquam nobilis praeconio,
unique tantum et alteri
dilecta: saxum viola muscosum prope
ceu paene fallit lumina;
at pulcra, qualis prima per crepuscula
cum stella fulget unica,
ignota vixit Lucia; a terrestribus
ignota concessit plagis,
et nunc sepulcro dormit: at superstiti
ah vita quam dispar mihi!

C. B. S.

106 *FORMA SINE ARTE POTENS*

SEMPER munditiis quod amas bene culta videri,
divitis ad mensam qualis itura fores;
quod linis os semper, redoles quod semper amomum,
in vitio fiat ne decor iste cave:
artis enim si causa latet neque proditur ulli,
tu tamen haud mendae suspicione vacas.
Plus mihi forma placet, studio non indiga tali,
quae decus ex ipsa simplicitate petit:
acrior est illex, mihi crede, incuria cultus
et laxae vestes et sine lege comae:
quam quaevis formae medicamina, blanda videri,
quae capiunt oculos, nil in amore valent.

H. A. H.

112 *Even so the gentle Tyrian dame*

SIC quoque nec Tyriae fletus valuere, nec omnis
ira, nec adversis dextera iuncta deis:
perfidus Aeneas, magnorum oblitus amorum,
iam dabat Ausonio vela movenda mari:
saepe, 'mane,' dixit, quum iam properaret amator;
vela citus rapuit vanaque verba notus.
Sic etiam lacrymas fudit Minoia virgo,
pressit ut in solo litore sola torum:
'quo fugis,' exclamat, 'scelerate, revertere, Theseu;'
securam secuit perfidus iste viam:
desertae auxilium miserans, Lenaee, tulisti:
non levat ah! curas Evius ipse meas.

R. N. S.

115 *I've hung upon the ridgy steep*

EST ubi securus fracta de caute pependi,
prensavique vagos, fulcra maligna, rubos:
meque dedi iactu tumidi sub gurgitis aestum,
demissum spirans aëra subter aquas;
aut impastorum subii fera lustra luporum:
necdum etiam hic nobis pessimus angor erat,
quippe malas visi sedes, ubi mente carentes
sanorum vitam, turba nociva, petunt:
carbasa ego in saevis legi male laxa procellis,
incertum malus summa sedile fuit: 10
ipse fui servus servis in carcere vinctis,
e medio petii stercore saepe cibum.
116 Nocte procellosa nostros fera turba paludis
instabili figunt in statione pedes;
quae loca presserunt hominum vestigia nunquam,
hiberna volucres quo coiere fuga;

aut ramo exili suspendunt arboris altum,
  altius haud possit corvus habere larem;
aut globus exilis fuit incertissima sedes,
  quem levis aëriae sustinet aedis apex: 20
me iussere mori positum maris inter harenas,
  qua fluit et refluo gurgite rursus abit:
verum ego sustinui baculo suffultus acerno,
  dum fluctus circum prosiluere pedes:
altius interea crevere atque altius usque
  dum labra invito triste bibere salum:
tum demum ingemui singultim; at lumine verso
  laetus io refluae conspicor omen aquae.

H. A. H.

117 *MVSCA*

POTARE, musca, de meo aut quovis scypho
  vocata, non vocata, praesens advena,
lubens libensque curiosam exple sitim,
siccare totum si valebis poculum;
aevi fugacis quod potes carpe, arripe,
aevi, quod interire pergit indies:
utriusque vita properat, et tua et mea,
ad exitum cursu incitato vergere;
aestas tuae, nec amplius spatium est meae,
ad bis tricenas usque si redit vices;
cum praeteribit bis tricena, sicuti
unius aestatis videbitur fuga.

V. BOURNE, 1743

II

AUDE, musca, aude vigil, indefessa labore,
  adque meos calices hospes amica veni:
hinc secura sitim potes explevisse; modestus
  haustus sive iuvet plenior, hospes adi:
indulge geniali horae facilique Lyaeo:
  exigitur vitae ver breve, carpe, tuae:

nostra utriusque levi distat discrimine vita;
itque pari ad metam praecipitata fuga;
nempe tuae spatium est neque nostrae longius aestas,
ad ter vicenas si redit usque vices:
atque olim, quum ter vicesima fugerit aestas,
unius aestatis rebor id esse fugam.

H. A. H.

III

Διψαλέη, φιλόκωμε, τανύπτερε τέρπεο μυῖα,
τέρπεο νεκταρέου γευσαμένη πόματος·
συμπίε, συμπίε, μυῖα καὶ εὐστεφάνοιο κυπέλλου
ἐκροφέου βοτρύων τὸν μελίφυρτον ὀπόν.
δεῖ σ' ἄρ' εὐφροσύναις λαθικήδεσι θυμὸν ἰαίνειν,
μεχρὶς ἐᾷ βιότου τέρμ' ὀλιγοχρόνιον.
ὥσπερ ἐμὸς βίος ὦκα, τέος βίος ὦκα πέφευγε,
κείσομαι αὐτὸς ὁμῶς καὶ σὺ μαραινόμενος·
καὶ γὰρ ἐς ἑξήκοντα παρελκόμενον λυκάβαντας
ἓν θέρος ἀνθρώπων, οὐ πλέον ἐστὶ βίος·
ἑξήκοντ' ἐτέων ταχέως παραμείψεται αἴγλη,
ἐκφεύγει δ' ἥβης ἄνθεμον, ὥσπερ ὄναρ.

GVLIELMVS JONES

123 *The dewdrop that at first of day*

CLARA quidem in viola sub primo mane remittit
incertum roris pendula gutta iubar:
clara tremit Zephyris; at quum tibi lumina amore
Phylli, micant, oculo est lux minor illa tuo.
Dulce canit viridi volucris sub tegmine silvae, 5
roscida quum verno pascua flore nitent;
balba sed infanti si praepediatur amore
lingua tibi, alloquio est vox minor illa tuo.
*123*b* Pulcra caput, gelidae declinans oscula noctis,
demittit timidum victa pudore rosa: 10

* Vide Appendicem A ad calcem libri

at rubor ingenuum tibi quando iniussus amorem
prodidit, est vultu flos minor ille tuo.
Trux belli facies, ubi sanguine campus inundat,
hostiles leto consociante manus;
sed nimis audacem ridens quum spernis amantem
et bella et fastu mors minor ipsa tuo.

C. B. S.

125 *AVREA MEDIOCRITAS*

NON ego fortunae moveor risuve minisve,
nec mihi plus aequo gaudia fluxa placent:
non titulos opto nec sum studiosus honorum,
siqua iuvant alios frivola nulla sequor:
arridet menti contentae copia praesens:
hoc modo, nil ultra vota modesta petunt:
semper ad immotas tonitrus fragor accidit aures,
nec fremitus belli pectora firma quatit:
me non exanimat cladis neque rumor acerbae,
omine nec diro fax rubicunda poli: 10
nullus iacturae metus est, spes nulla lucelli,
nullum in me livor ius neque fastus habet.
126 Est quem laudis amor tenet insatiabilis, est qui
Tantalus aggestas esurit inter opes:
est quem nummorum sitis importuna fatigat,
ipsum etiam video plura inhiare Midan:
non mihi paupertas nimia est neque copia rerum,
quod satis est satiat: qui satis, omne tenet:
non ego amicitia quos odi fallere ficta,
regibus haud soleo subdola verba loqui: 20
laudatur non parca nimis neque lauta supellex:
mensaque communis resque modesta domi:
mens contenta suis, nullius conscia fraudis,
hic amor, haec studii summa fit una mei.

H. A. H.

127 *She is not fair to outward view*

NON est externa spectabilis illa figura,
qualis virginei plurima nympha chori:
nulla venustatis mea mens vestigia in illa
viderat, ante meus quam mihi risit amor:
risit; et oh, quantum vidi splendoris in illo
lumine! fons lucis, flumen amoris erat.
Nunc tamen ah! nimium frigentia conspicor ora,
nec responsuras quaerimus inde vices:
est tamen, est vel adhuc qui me docet ardor ocelli,
inde cupidineas non abiisse faces:
ipsa supercilium quae contrahit illius arctum,
pulcrior alterius risibus ira mihi est.

G. J. K.

128 *IN AMOREM FVGITIVUM*

QVAERIMUS erronem: quis vidit? mane recenti
avolat e thalamo qui fugitivus Amor:
velox est, dulces lacrymas ciet, improba ridens,
penniger et pharetra laetus et ore loquax,
impavidusque puer. Quo sit patre nescio; prolem
quem mare, quem tellus, quem neget aura suam:
omnibus omnimodis infestus nunc quoque vobis
ne tendat laqueos ille cavete novos:—
ah, viden in latebris? frustra vis fallere, frustra,
dirigis ex oculis qua tua tela, Chloe.

C. B. S.

129 *CLADES LIBERORVM NIOBES*

ACCIPE quam refero diram tibi, Tantali, sortem,
accipe maeroris nuntia verba tui:
solve comas, Niobe, Phoebeae enixa sagittae
heu! tibi quod sobolis cunque virilis erat.

Vixerunt pueri. Sed quis novus ingruit horror?
  ecce puellari terra cruore madet:
una super mammas, genibus iacet altera matris,
  sternitur haec gremio: sternitur illa solo:
haec stupet adversam, super haec duplicata sagittam est;
  lustrat adhuc caeli lumina viva soror:
ipsa loquax olim nimium, nunc muta rigescit
  infandis genetrix saxea facta malis.

C. B. S.

30 *IN SANITATEM*

ALMA Salus, superos inter sanctissima, tecum
  sit mihi, sit vitae degere quod superest:
tuque volens in tecta veni: non siquid amoeni
  divitiae, siquid pignora amoris habent,
regis honos siquid superisque aequata potestas,
  aut dolus et Paphiae dulcia furta deae,
sive alia humanis dantur bona munera votis,
  si requies curae, si medicina mali,
alma Salus, tecum surgunt tecumque virescunt,
  tecum agitat nitidos gratia verna choros:
omnia tu tecum mortalibus optima praebes,
  teque carens felix vivere nemo potest.

J. E. B.

II

DIVARUM dea Sanitas,
  tecum sit mihi vivere
vitae quod superest meae:
unis simus in aedibus:
nam si divitiis adest
ulla aut gratia liberis,
si regalis honor viros
dis miscens superis placet:
si nos illaqueat Venus;

est siquid volupe et quies
curis; cuncta vigent, dea,
tecum; ver charitum nitet:
felix te sine nullus est.

M. MAITTAIRE, 1722

132 *IN FLAGELLA PARATVS*

AFFIGAR scopulo lubens
annos mille decem montis inhospiti,
qua nunc stem rigidus gelu,
nunc solis nimiis torrear ignibus:
solusve in fragili scapha
inter mille minas horrisoni maris,
qua portus neque luminis
spes sit, quotquot eunt secula, iactiter:
sub terra latebris specûs
clausus membra feris implicer anguibus:
unum deprecor, O Deus,
post mortem sceleri debita ne luam.

H. A. H.

133 *And wilt thou weep when I am low*

DICEBAS te fleturam, cum tristior essem;
ista mihi rursus verba profare, precor;
verba profare, precor, nisi forte iterare molestum est,
cur tibi tristitiae causa fuisse velim?
aeger enim curis iaceo, deperditus, exspes,
torpescitque meo frigida fibra sinu:
unaque tu, quum summa dies hos solverit artus,
una super busto flebis amica meo.
Est tamen est vel adhuc quod det solatia curis,
e nigra videor nube videre iubar;
nosse quod es nostros olim miserata labores,
hoc auferre valet triste parumper onus.

H. A. H.

135 *Of old sat Freedom on the heights*

OLIM Libertas consedit montibus altis,
sub pedibus tonitrus consonuere Dei;
suspexit vasto rutilantia sidera coelo,
audiit infractis murmura fluminibus:
sola sedens animo percepit gaudia magno,
ipsa sibi vates et satis ipsa sibi,
sed tamen ad terras disiecti splendida cantus
fragmina coelestes deripuere noti.
Tum peragrans sata laeta urbesque operumque labores
vadit per medios intemerata viros;
scilicet ut populo sic tandem adpareat omni
paullatim tantae forma tremenda deae.

135 *a* [Lumina, quicquid id est, verum sincera requirunt,
firmarunt veterem saecula mille fidem:
atque utinam aeterna radient formosa iuventa,
non hebetent lacrimae, non premat illa dolor:
sic etenim praesens nostros beet illa sopores,
sic nitidum risu prosperet illa diem:
denique praemoneat, si quando prava iubemus,
vertat et in melius fervida consilia.]

F. W. H. M.

138 *EPITAPHIVM RVBECVLAE*

Ἧκα πόδ', ἧκα τιθεὶς παραμείβεο· φασὶ γὰρ ὧδε,
εὖτε λιγύφθογγος κοίμισ' ἄημ' ἄνεμος,
λείψαν' ὅπου νῦν τύτθ' ἐνὶ κόλπῳ γαῖα κέκευθε,
ἐγρέσθαι χθονίην λειριόεσσαν ὄπα·
οὐκέτ' ἐρημολάλος, φρίσσων πτέρα, χρῶμα μαρανθεὶς,
εἰν ἀκόμοις ἄφιλος δένδρεσι χειμερινοῖς,
ἔνθα καὶ ἔνθα τάλας διζήμενος οἶκον ἀλᾶται,
ὀρνίθων δὲ δόμους ἐς μακάρων ἀπέβη·
ἔνθ' οὔτ' αἴλουρος φοβέει ποτε χλωρὰ διέρπων,
οὔτε νεοῦ παιδὸς σῶμα μέγ' εἰσοράᾳ·

ἱμερόεν δ' ἔαρος μέλπει πετέηνα γελῶντος
λεπτὸν εὐφροσύνῃ θυμὸν ἰαινόμενα.

H. A. H.

141 *IRIS*

QUAM tu superbo splendida cingulo
turresque et urbes et iuga montium
ambis vel ingentis profundo
gurgitis in speculo reluces!

Nimbos iisdem viva coloribus
pingis, venustas nec tibi iam minor,
quam quum residentum novellis
luderet in radiis aquarum

securus ales: quippe tuum Deus
instaurat arcum polliciti memor,
ex quo recens coelo perennis
foederis imposuit sigillum.

H. A. H.

143 *Thyrsis when we parted swore*

IURAVIT Thyrsis iam discessurus amicae
adfore se reditu veris, ut ante, domi:
eheu! iam fulgent violae, iam spina tumescit;
altisonum coelo fundit alauda melos:
per nemus assuetos renovat philomela dolores:
'ver redit' exclamant omnia;—Thyrsis abest:
raucisoni cantus, nimis importuna puellae
temperies! cur vos sic properasse iuvat?
non semper monstrant imbres, non aura Favoni
elapsas hiemes praeteritumque gelu;
Phoebe, retro propera, versique recurrite menses,
integer ut saltem restet amantis honor.

E. H. ALDERSON

II

THYRSIS discedens, ita Dî, se dixit, adessent,
ante reventurum quam periisset hiems:
hei mihi! quid violae, miror, flos ille nigrescens,
quid sepes teneris frondibus aucta velit:
fallor an agnovi pennam surgentis alaudae,
et praeludentem te, philomela, modos?
Quin cessatis, aves, nec tu, rube, praecipis horam;
quo mihi solennes quo properare vices?
si tepuit Zephyrus, risitve serenior aether,
non ideo brumam ver pepulisse liquet:
iam nolite metu facilem tentare puellam;
sit pueri per vos intemerata fides.

C. W. M.

146 *How sleep the brave who sink to rest*

QVO ritu heröum requiescunt corpora, quos dat
patria honorifico functa dolore rogo:
ver quoties geniale redit, tumulumque revisit
frigidula spargens roscida mella manu,
tam suavi hunc campum decorabit cespite, qualem
phantasiae haud alibi lubrica planta premat:
aëriae pulsu praemonstrant funera formae,
aërium exsequiis assonat usque melos:
cana fides dilecto amat invigilare sepulcro,
et faustum esse iubet quod tegit ossa solum:
divaque libertas in caro sola recessu
saepe piam nectet flens prope busta moram.

S. BISHOP, A. S. 1766

II

AH! quanta somnis Gloria fortium
incumbit, urgens carmina; quos amor,
quos vota delibata puro
pectore, quos lacrymae peremptos

lugent paternae! cum madidum redit
ver rore, sanctos per cineres manu
diffundet herbas suaviores
Elysii redolente serto.

Audita caelo carmina conscio
effusa chordis aërii chori
sonant: Eremitae decenti
veste dolens super ossa cultu

iusto reflexus tristis Honor gemet;
nec dia sedi non aderit piae
ministra Libertas, voletque
ipsa super vigilare cippo.

N. KERR, A. S. 1802

III

Ὄλβιος ἡρώων θάνατος, τοὺς κοίμισε μοῖρα
πατρίδος ἱμερτοῖς εὔχεσι θαλπομένους·
ἱροῦ ὑπὲρ τύμβου ὡς νίσσεται ἄνθιμος ὥρη
ἀμβροσίους χεύει λευκὸν ἔαρ στεφάνους,
ἄνθεά τε δροσόεντ' ἀναθρέψει, οἷά γ' ἐραννὸς
οὔποτε μουσάων κῆπος ἐπεσκίασεν·
ἀερίαι γλυκεροῖσι πέριξ ψιθυρίσμασι φωναὶ
μέλπουσιν θρήνων ᾄσματα θεσπεσίων·
πολλάκι δὴ πολιαῖς χαιτῆσιν πότνια τιμὴ
εὐκλειῆ σέβεται γαῖαν ἐπερχομένη,
καὶ γοερῶς λείβουσα χλοήρεϊ δάκρυα τύμβῳ
οἰκήσει τέμενος σεμνὸν ἐλευθερία.

G. HERBERT

147 *Say, Myra, why is gentle love*

DIC, Myra, cur nondum molli flagrarit amore
mansuetum et blandum quod tibi pectus inest:
pronum adeo pectus misereri flere probare,
iustum adeo et tenerum cor ab amore vacat?

An metuis curas et edaces ferre dolores,
fervida quae semper corda in amore ferunt?
ancipitemne fidem, dubias spes, anxia vota et
gaudia plena metu versicolore times?
Ah! quaecunque placent patiendo parta: beatis
non alia fieri conditione licet;
nulla voluptatem potis est admittere magnam
mens, nisi quae magno laesa dolore gemat.

S. BISHOP, A. S. 1766

148 *To him who in an hour must die*

NON misero pariter, cui vitam finiet hora,
hora brevem visa est praecipitare fugam,
ac mihi cunctari, reptare, haerere videntur
tempora, quae longum te mihi, cara, negant:
non illi pluris foret ipsa in morte paranda
vita per exiguum forte redempta diem,
quam mihi mobilitas lentae velocior horae
quae procul amplexu te iubet ire meo:
o redeas cupidique redux in brachia curras
plusquam mortali, nympha, decore nitens;
ut simul ipsa probes quos iam facit haec mora luctus,
et sua lugenti praemia rite feras.

S. BISHOP, A. S. 1766

149 *When I think on your truth I doubt you no more*

NYMPHA, fidem cum specto istam, dubitasse pudori est
et male conceptos criminor ipse metus;
'quin o confidas,' inquam mihi, 'pastor; amantem
vix fallet, dixit quem semel illa suum:'
at vero quoties risus veneresque decusque
respicio, in vultu quae tibi mille nitent,

corda iterum trepidant; subit et metus ille, puellam
ne mihi praeripiat quisquis amicus adest:
non tibi fas removere metum est, nisi forte fuisset
vel tua forma, meus vel minuendus amor;
nec damnes in amore timentem: scilicet his tu,
ni iure haec timeo, non aliena times.

S. BISHOP, A. S. 1766

151 *VIOLA*

BELLA quidem viridem colit et spectabilis umbram
quam praebet coryli betula mista coma:
bella quidem nec flos viola speciosior alter,
quot nemus aut saltus, quot cava vallis habet:
caeruleo insignis, ceu lucida gemma, colore
deflectit tenero pendula rore caput:
at magis insignis vidi splendoris ocellum,
per lacrymas risit dulcius unde iubar:
aestivo sed enim citius non sole peribit
ros, vixdum pleno mane fugante die:
quam desiderii, cum iam discederet, index
lacrymula infido fugit ab ore meae.

H. A. H.

152 *a* *I do confess thou 'rt smooth and fair*

[BLANDA, fatebor enim, ridet tibi gratia formae,
et poteram illecebris succubuisse tuis,
ni mihi constaret, quascunque brevissima fundit
lingua, tuum pectus posse movere preces;
nunc quia non digna es quam quis dignetur amore, 5
iste velim nobis nunc procul absit amor:
dulcis es, agnosco; sed enim tibi dulcia passim
sic placet incauta spargere dona manu:
scilicet es Zephyri similis qui basia iactat,
obvia quae flabris res solet esse suis: 10

oscula quae donas tua pluribus, ipsa videris
digna eadem nullus cui sua reddat amans.]

153 Quae rosa mane rubens necdum libata renidet,
horrentes inter spirat odora rubos,
verum ubi non tenerae carpsit violentia dextrae, 15
interiit lapsis frondibus omne decus:
dum pariter veneres, pariter moriuntur odores,
sensim deciduas deflet abire comas;
sic te, cum fueris manibus tractata procorum,
Lesbia, sors eadem (nec mora longa) manet: 20
tu quoque flos veluti marcens neglecta iacebis,
ast ego, dum ridet cetera turba, gemam:
sicubi tota cohors iuvenum aspernabitur illum
qui fuit in cunctos ante profusus amor.

154 *First shall the heavens want starry light*

SIDEREA certe prius aether luce carebit,
arescent undae deficientque mari;
solque diem exstinctus, solem nitor ipse relinquet,
umbra aberit nocti, nec teget ossa solum;
arbusta et flores frondesque requiret Aprilis,
quam mea iurantis sit tibi falsa fides.
Hora prius sistet qui nunquam sistitur orbem,
et frontem agresti fruge beabit hyems;
oraque Quintilis nivibus perfusa madescent,
atque aestas flebit maesta, virebit hyems;
quam mea Musa potens lingua famaque iuvante
cessabit nomen laude sacrare tuum.

J. G. L.

156 *SCHOLA MORBI*

MORBO aut labore si doles exercitus,
spes mitte vanas, mitte amara questuum,
mortalis; istis haud opus solatiis.

Acerbitatis quidquid est, morbum puta
salubrem amica quem Dei mittit manus,
omenque poenae, quam soluta corpore
patietur anima debitam piaculis.
Age, carnis istam sperne pervicaciam,
tuique iudex ipse, dum tristes fluunt
guttae, libenter perfer incumbens onus,
Deoque concors quod iubet tibi imperes.

H. A. H.

158 *DE FORTVNAE INCONSTANTIA*

QVIS pudor est, si me fortunae vultus acerbae
fallentis vitae carpere cogit iter,
vivere et ignotum famae et sine nomine? quid si
obliviscendum me Libitina rapit?
Non bonus aut sapiens, non est fortissimus ille
cui datur excelsis posse nitere locis:
pluma super summos fluctus levis innatat, imo
condita in oceano lucida gemma latet:
quae coelum irradiant stellae tot ubique minores,
nunquam hebetant nitidum diminuuntve iubar:
nocturni regina poli, dominusque diurni
possunt obscura saepe latere face.

H. H.

165 *In vain to me the smiling morning shines*

HEI mihi, nequidquam remeat lux alma diei,
Phoebus et auricomis aethera lustrat equis;
mutua nequidquam volucres sua carmina miscent;
veste nova viridis ridet amictus ager:
heu! aliam vocem studio disperditus oro;
heu! aliud visum lumina maesta rogant:
ipse meo crucior tacita sub mente dolore,
et modo nata cadunt irrita vota sinu:

attamen alma dies hominum fotura labores
  surgis et assurgens gaudia plura refers;
fenus ager solitum cura fert omnibus aequa
  haud ingratus: avi carmina fundit avis:
questibus exanimem sequor heu! male sedulus umbram,
  et magis inde fleo, nil quia flere valet.

J. Y. S.

II

AH mihi nequidquam lux matutina renidet,
  Phoebus et exoriens aureus igne rubet;
nequidquam enarrat volucrum concentus amores,
  laetaque iam viridi pascua veste nitent:
quippe modos alios mea vae! desiderat auris,
  atque alia est oculo forma petenda meo:
solus ego excrucior; neque cor mihi sublevat ullus;
  inque meo intereunt gaudia manca sinu:
mane tamen lux alma nitet fallitque labores,
  datque bonas aliis laetior hora vices;
omnibus et campi tribuunt sua dona volentes,
  ut sociis recreent corda, queruntur aves;
at mea nequidquam compellat naenia surdum,
  et quod vana fleo, plura necesse fleam.

J. G. L.

168 *AD ALAVDAM*

DULCE cadunt verni renovatis floribus imbres,
  dulcis in irriguo gramine gemma micat:
sed quicquid laeti fuit aut quid ubique recentis
  argutive, tuum vincit id omne melos;
ergo nos doceas, volucris seu spiritus audis,
  dulcia quae lateant pectore clausa tuo:
nam neque Bacchi unquam aut Veneris praeconia novi
  tam dio afflatu praecipitata lyra:
dic, quotiens hilari promis de fonte lepores,
  quae iuga, quos fluctus, quos mediteris agros?

quae coeli aut terrae species, quae inscitia luctus,
quisve tui generis fervidus urget amor?

G. B.

II

LAETUS, qui tremula vernus micat imber in herba,
vel rosa quae pluviis tacta revixit aquis:
tu tamen exsuperas: seu quid natura liquentis
extulit et puri, purior iste canor:
quin, vaga Musa, doces, an vis audire volucris,
queis tibi mens hilaris fiat imaginibus:
nam vox nulla tuae Bacchum Veneremve canentûm
par furit infreni flumine, plena Deo:
tam geniale melos qua surgat origine miror;
quo caleas viso gramine, fonte, iugo:
an tibi terra patens aut aetheris arcus Apollo est?
an quod nil doleas? an socialis amor?

C. W. M.

III

SUAVE coruscantes vernus cadit imber in herbas,
suave olet a pluvia flos reseratus aqua:
carmina sed praestant tua quicquid in orbe sereni,
quicquid laetifici, quicquid odoris inest:
dic mihi, seu volucris seu diva libentius audis,
qualia sub pectus quae meditaris habes:
nam mihi non Bacchi, Veneris non laudibus unquam
divini emicuit copia tanta soni.

G. J. K.

169 *Ah, friend, 'tis true: this truth you lovers know*

AH! nam quid sit amor vos scitis, dicite amantes,
quam, procul a domina, gaudia nulla iuvant:
surgat ad astra domus simuletque palatia frustra,
Hesperidum frustra suavior hortus erit:

frustra, propter aquas, colles et amoena vireta
in vitreo Thamesis duplicat alta sinu;
non hic laetitiae locus est, ea sola colenda
quae beat aspectu cara Maria suo:
occiduo quid enim valuit mihi porticus aut quid
hortus et umbriferum sole oriente nemus?
quid nisi, quod tacito mens indulgere dolori
saucia possit in his et sine teste queri?
sic modo letali transfixus arundine cervus
silvarum latebras et loca sola petit:
ille inter gemitus miser et suspiria tarda
guttatim effuso sanguine morte perit.

H. HALFORD

174 *In vain you tell your parting lover*

AH! decedenti frustra, carissima, dicis;
Prospera per fluctus te, precor, aura vehat!
aura mihi num flare potest, num prospera, raptat
quae procul—ah! nimium raptat amore procul?
eheu! qui labor est agitato turbine mentis
par contemtricis saevitiaeque gelu?
quin potius, quin blanda vove, stridente procella
ut rapidus tumidas concitet Eurus aquas:
ut fera tempestas me litore volvat eodem,
pectora quo primum naufragus egit amor:
ut luctus renovem et moribundo carmine rursus
irrita vota querar saevitiaeque gelu.

G. WAKEFIELD, 1776

175 *That time of year thou mayst in me behold*

IN me conspicitur pars anni prona cadentis,
cum folia in ramis, quos nova quassat hiemps,
pallescunt nudis, et pauca aut nulla supersunt,
inter quae nuper dulce canebat avis.

Non aliud videor, quam sera crepuscula lucis
occiduum Phoebi pone secuta iubar,
nec mora, nox furva, mors altera, dimovet umbra,
quae simul obsignans omnia composuit.
Non aliud videor, prope quam defecta favillae
visa in reliquiis flamma iacere suis,
quae iamiam moribunda expectat funus in illo,
nutrimenta prius ceperat unde, rogo:
conspicis haec et amor magis inde ardescere coepit,
quod tibi mox dempto fine carendus ero.

H. A. H.

177 *Tell me on what holy ground*

DIC mihi, qua lateat regio sanctissima terra,
pax ubi sit castis invenienda focis;
alcyoni similis, tranquilli filia coeli,
ecce pavens alis hinc procul illa volat;
et timida imperii pompam soliûmque relinquit,
nec strepitum aut odium seditionis amat:
incola sed casulae potius sub valle moratur,
campanasque audit, lux ubi sacra redit:
illam semper ibi ritu comitatur euntem
mitior ora gerens immaculata Fides,
tum Luctus lacrymis qui saepe renidet in ipsis,
et genitor grati saepe timoris Amor,
Mnemosyneque colens exactos corde labores,
lene voluptatum laetitiaeque caput.

J. G. L.

178 *Cupid and my Campaspe played*

LUSERUNT Amor et Neaera nostra
par impar, dubiaque sorte, primo
contra basia ponit hic pharetram,
arcum, tela, malaque victus arte,

discedit, gracilesque tum columbas
dilectas Veneri, novumque currum
tractum passeribus, labella rubra
corali minium aemulata, frontem
crystallo nitidum, rosas genarum,
(quis unquam dedit has tibi, Cupido?)
amittit furiosus, et venusti
menti mollitiem. Duos ocellos
tandem ponit, et hos proterva Nympha
ridens abstulit. Ille caecus errat.
Quod si fecerit haec tibi Cupido,
quae spes iam misero mihi relicta est?

E. H. ALDERSON

183 *AD LIBERTATEM*

O QVAE iusta homines civili foedere servas,
propter te quaevis ferre pericla velim;
nec fortes animas te propter adire recusem,
queis, ni vita foret libera, vile mori:
plus mihi morte dolet quod ubique licentia saevit,
progenies Erebi maxima, clade ferox,
nosque iubet legum contemtrix effera curvo,
te solio excussa, procubuisse genu:
quid si sceptra ferens populos contundat inermes
ferrea, inexpleta caedis anhela siti;
at mihi non animos subiget: me vincla fatigent,
sive alias exul cogar adire plagas;
non tibi laus unquam, libertas aurea, deerit,
sic tu cincta mari litora semper ames!

H. A. H.

184 *But canst thou wield the sword and bend the bow*

ARMANE tu poteris torquere virilia virgo,
pellere vel densos vique manuque globos?

tempore quo cantant praesentem cornua pugnam
telaque cum multa stridula morte volant,
starene tu poteris non territa quolibet ictu,
et pro feminea parte parabis opem?
nempe tibi vires, tibi fortia pectora deerunt:
mollia membra trement: deseret ora color;
non profecturos perdes ingloria questus,
flebitur et nimia prodita vita fide:
nec mora quin fugias hostili pulsa caterva
pars adiumenti quantulacunque mei,
atque virum sero te forsan amasse pigebit,
damnatum longae per loca sola fugae.

R. G. R.

187 *Queen of the silver bow, by thy pale beam*

SUB face suave tua, coeli regina bicornis,
errare et vacua fallere mente moram;
nunc tremulum spectare iubar super aequore summo,
nunc transvecta tuam nubila lenta viam;
et radios animi contemplor ut aegra modestos,
influit in trepidum pectus amica quies:
inque tuo miseros subit orbe, argentea, noctis
lampas, inoffensa posse quiete frui;
fortunaeque diu passos ludibria saevae
ire tuum laetos, morte vocante, sinum:
defunctosque malis oblitosque ante malorum
tristitiae sensum ponere quemque suae.
O utinam in placidos cito deferar ipsa recessus,
post nimis ingratae taedia longa viae!

H. A. H.

189 *IN CICADAM*

PARVULA progenies veris Zephyrique cicada,
quam te Phoebus amat! quam favet alma Ceres!

maturae varia frueris dulcedine messis,
  dum praebet tenerum cespitis herba torum:
omne tuum est, quodcunque sinu de divite tellus
  sponte vel humano culta labore parit:
illic lacteolo surgunt tibi lilia collo,
  hic calices implet roscida gemma tuos:
et quando exhaustos inter cadis ebria flores,
  en! pro te somnos omne papaver habet:
deliciis tandem variis satiata recedis;
  nec tibi, quae laedit cetera, tristis hyemps:
sortem ultra humanam felix, quae frigoris expers
  et senii, Phoebo deficiente, peris!

M. LEWIS

190 • *A wind came up out of the sea*

EXIIT aura mari, dixitque, Recedite nubes,
  omnis et aufugiat, me veniente, vapor;
exiit aura mari, navesque salutat aitque;
  Navita, nox abiit navita perge viam:
inde procul longinqua volans ad litora clamat,
  Venit io, somni rumpite vincla, dies:
tum silvam adloquitur: Clamorem ad sidera tolle;
  pande mihi quot habes, frondea signa, comas:
tangit avem implicita sopitam in saltubus ala;
  Incipe, ait, solitos, nocte abeunte, modos:
inde monens segetes, Caput inclinate, susurrat:
  'nulla salutandi sit mora mane novum:'
vecta super tumulos: Vos expectate sepulti,
  lene gemit, nondum meta soporis adest.

H. A. H.

II

AURA ibi crebescens ponto surgebat ab alto,
  dixit et, O nebulae cedite quaeque mihi.

Tum salvere rates iussit: Vos solvite nautae
  carbasa, noctis adest iam bene finis, ait.
Et procul inde volans terrae properabat in agros,
  admonuitque: Nova iam vigilate die.
Tum sylvam increpitat: Clamorem tolle, comasque
  eia age pande tuas, frondea signa, mihi.
Pendentem volucris sylvestris contigit alam,
  dixit et, Evigilans da mihi carmen, avis.
Mox segetem leni visa est suadere susurro;
  Gratere ut reducem, flectere; mane venit.
Incubuit tumulis singultu questa: Iacete,
  et vobis nondum sit violata quies.

J. G. L.

191 *In all my wanderings round this world of care*

INTER tot curas luctusque ubicunque ferendos,
  tot mala missa homini, pauca nec ista mihi,
sperabam hic tandem metam reperire laborum,
  et sero ad notos posse redire focos
lentus ubi et tutus tererem moderatius horas,
  et facerem placidos tardius ire dies:
utque aliis praestare placet iuvenique senique,
  sperabam agricolis grandia docta loqui:
quod fando audissem et vidissem, stante corona,
  omnia magniloquis enumerare modis:
utque lepus canibus pressus vestigia flectit,
  vixque locum repetit, ceperat unde fugam,
sic ego, tot passus peregrino in littore casus,
  nota peto moriens tecta meosque lares.

H. HALFORD

II

QVAE loca cunque olim misero vagus exul in orbe
  lustrarem, haud parvas passus et ipse vices,

usque erat in votis, summa haec mihi meta senectae,
  hic lare sub parvo condere posse dies,
neu prope consumptos raperet labor ocius ignes,
  vitalem hic placida pace fovere facem:
verba quoque, usque adeo ambitio nos torquet, avebam
  ruricolas inter docta tonare senes,
aut proprium ante focum, coetu sub nocte coacto,
  multa a me quondam visa vel acta loqui:
ac veluti cornu et canibus lepus actus eosdem,
  unde olim exsiluit, quaerit anhelus agros,
sic me fingebam rediturum, erroribus actis,
  ut patria moriens contumularer humo.

J. J. H.

III

QVOCVNQVE erravi vitae inter tristia, quidquid
  passus ego, (et Numen non mihi pauca dedit,)
spes erat, extremi solamen dulce laboris,
  his tandem in latebris posse quiete frui;
conservare meae languentem lampada vitae,
  et prope defectam pace fovere facem.
spes erat—ah quoties nos vana superbia tollit!—
  doctrinam agricolis exhibuisse meam,
et, quae conspexi sensive, sedentibus isdem
  ad vespertini ligna referre foci.
utque lepus, quoties cornu catulique sequuntur,
  fessa petit notum, fugerat unde, locum,
spes erat, exactis tandem maeroribus, huc me
  posse revertentem denique obire domi.

H. H.

192 *At summer's eve, when heaven's ethereal bow*

CUM super ardentes aestivo vespere colles
  aërios arcus explicuere poli,

cur procul ad montes meditans tua lumina vertis,
quorum purpureus nubila tangit apex?
cur tibi tam sordet ridens vicinia iuxta,
dum placet obscuri scena remota iugi?
scilicet id quod abest praestantius usque videtur;
hinc iuga caeruleo tincta colore nitent.
sic etiam mentem quadam dulcedine tangunt
gaudia, quae pandit vita futura procul;
et quae prospiciunt homines, licet abdita nimbis,
tempora praeteritis anteferenda putant.

H. H.

193 *EPIMENIDES*

IAM puer in silvas ierat, plenumque lepore
florea delectat cor puerile seges;
delectat volucris resonans arbusta querella,
seu visa obliquum transvolitare iubar;
delectant scatebrae, quas imo corde loquentes
percipit, ut ripis eiaculantur aquas:
frons quoque siqua tremit, Zephyri motantibus alis,
is pueri lumen non fugit acre tremor.—
ast ibi, mira loquor, puero subrepsit inerti
clausurus longa lumina nocte sopor:
desierat somnus: cedente puertia somno
cesserat; hinc alias incipit ille vices,
et veri studio supra mortalia mente
fertur et ediscit multa docetque senex:
indoctum doctumque viri facundia vincit;
hic stupet, ast artem negligit ille suam.

H. A. H.

Turn I my looks unto the skies

SUSPICIO convexa poli: mea lumina figit
confestim telis imperiosus Amor:
despicio terram: pariter mihi flore sub omni,
quotquot alit tellus, insidiatur Amor:
seu curam fugiens in frondea tecta recedam,
en iterum frondes obvius inter adest:
seu libeat nemoris spatiari in devia solum,
hic etiam comitem se sacer addit Amor:
seu laver illimi mox flumine membra, canentis
fallor an e ripa vox venit illa dei?
seu mediter mecum solus, deus ipse fit aegro
tristitiae consors cumque gemente gemit;
seu lacrimem, lacrimis illi quoque lumina rorant,
vultque meae semper proxumus esse viae.

H. A. H.

II

AD superum quoties caelum mea lumina tollo,
saucia telorum vulnere laedit Amor;
sive humilem vultu terram spectare iuvabit,
flori cuique subest insidiatus Amor;
sive petam latebras umbrae fugiamque dolores,
tum mihi per latebras obvius ibit Amor;
seu libeat nemoris loca per secreta vagari,
fert ibi praesentem sê mihi sanctus Amor;
seu mox forte laver laticisque immergar in undas,
fallor an e ripa tum canit ille deus?
sive animo meditans hominum vestigia vitem,
tum comitem luctus se dabit ille mei;
sic maesto illacrimat maestus sociatque dolorem,
et, quacunque adsim, nolet abesse deus.

J. G. L.

199 *Like as the waves make toward the pebbled shore*

FLUCTUUM volubiles
eunt ut undae, sic sequax sequacem
proterit diem dies;
suamque pergunt ire quaeque metam.
stella nata, vix diu
potita plena luce, deinde certat
nequid occulat decus:
obest sed aetas invidetque caelo
ipsa quod dedit iubar.
rapax iuventae ver nitentis aetas
confodit, nec aureae
maligna fronti parcit, at venustum
exarat notis ebur:
fit omne praeda, siquid edit artis
terra rarius, neque
stat ulla res, quin falce demetatur:
nec tamen sacro potest
obesse vati (fas sit augurari)
ne tuam canens fidem
in omne vivat seculum superstes.

H. A. H.

202 *Devouring Time, blunt thou the lion's paw*

TEMPUS edax, ungues (licet hoc) obtunde leoni,
terra parens subolem fac voret ipsa suam:
velle ferae tigridi dentes, annosaque phoenix
fac pereat tandem sanguine inusta suo:
da laetos tristesve, ut praeterlaberis, annos,
et celeri quaevis cetera perde fuga;
cetera perde fuga, quot praebet dulcia tellus,
nil moror: hoc unum tu fuge grande nefas:

parce meae: ne frontem horis insculpe venustam,
neve senis calami sit perarata notis:
hanc unam superesse sinas: illaesa futuris
ut formae specimen sit sine labe viris:
laede tamen quantum poteris, tua damna vetabo;
usque meo iuvenis carmine vivet amor.

H. A. H.

204 *When in disgrace with fortune and men's eyes*

FORTUNAM quoties aversaque conqueror ora,
et miser in tenebris solus inopsque fleo;
nec profectura superos prece crebra fatigans
exsecror vitae fata maligna meae;
invidiam quoties movet hic stipatus amicis,
hic facie melior, spe magis ille vigens:
arte potens alter, pollentior alter honore;
quoque magis fruor, hoc displicet omne magis:
displicet omne meum, (sed displicuisse pudori est),
dum tuus in mentem, care, recursat amor:
tum laudo ore Deum: neque mane sub ostia caeli
laetior ex hebeti cantat alauda solo:
nam mihi divitias unus complecteris omnes,
praeque tua sordet regia gaza fide.

H. A. H.

208 *Lyke as a ship that through the Ocean wide*

UT ratis oceani quae latum vecta per aequor
tuta sui monitu sideris urget iter,
lux si fida viae nimbis obscura recessit,
longius ignotis devia fertur aquis:
sic ego, cui nebulis stellam texere procellae,
dux mihi quae nitidum praetulit ante iubar,
per medios casus, per caeca pericula rerum
nunc vagus in tenebras sollicitusque trahor:

fallor? an hic medio iam fugerit aethere nimbus,
illa redit vitae stella comesque meae?
surge redux Helice neu sera revise iacentem:
nempe polo fugient nubila, mente dolor:
me, donec redeas, aegrum solamine nullo
et taciti luctus et mea cura tenent.

R. E.

211 *What doth it serve to see the sun's bright face*

QVID prodest nitidi nova lumina cernere Phoebi,
pingit ubi Eoum luce oriente polum?
cernere ut argenteo volvatur lucida curru
Cynthia, siderei gloria flosque chori?
quid prodest varios terrae spectare colores,
prataque et aërii culmina longa iugi,
augustum nemoris decus annosumque vigorem,
utque revertenti cedat arena mari?
quid prodest sub fronde modos audire volucrum,
gaudet ubi turdus vel philomela gemit?
illa quidem nigris mea damna videtur in umbris
plangere; nam toto quid mihi in orbe manet?
una erat in causa, cur quae placuere placerent,
nec iam in laetitiae parte erit illa meae.

J. M. L.

213 *AD VER*

VER redit et veris comites, blandissima turba,
igne caput radiat, pictaque flore toga;
nubibus e laetis stillat flens gemmeus imber,
crispat agri virides mollior aura comas;
tu ver dulce redis; at verni ego temporis expers,
nec redeunt dulces heu! sine nube dies;
at tantum monimenta refers ingrata dolorum,
at pro melle mihi fellis amara facis.

est tibi, qualis erat, species formosa videri;
  nunc quoque lascivum molle procaxque venis;
ast ea, quae vernas implebat odoribus auras,
  auro nec gemmis heu! redimenda perit:
ire redire potest annus; iacet obruta virtus,
  nec tumuli mutat spreta inhonora situm.

H. A. H.

12 *Forsake me not so soone; Castara, stay*

NE fuge, vita, prior: tibi mox comes ipse resolvam
  claustra Promethei (ne fuge, vita) luti:
tunc anima exspirans implebo vela suprema,
  per letique vehet nos ratis una salum.
sic Nerëis erit quae trans freta vasta secundet
  carmine: 'felices ite in amore pares'!
sic frontem solüent undae: premet Aeolus austros,
  seu vigilat, placido consonet aura mari;
dilabentur aqua si quae Symplegades obstent,
  fallere nec Siren sed placuisse volet;
lenius arridens aether certamina ponet
  lucis, et ostendent aemula signa faces:
ast Amor ipse ratem certa reget arte magister,
  ne nisi iam portu cesset in Elysio.

C. W. M.

26 *ANDROMACHE LOQVITVR*

CUM Paris, O Helene, te celsa in Pergama duxit,
  et miser illicitos iussit adire toros,
heu! non coniugii laeti florentia dona,
  sed secum Alecto Tisiphonemque tulit.
illius ob furias fidens Mars mille carinis
  te circum rutilis, Troia, dedit facibus:

illius ob furias cecidisti, care marite
  Hector, Achilleis rapte marite rotis!
ipsa autem e thalamis agor ad cava littora ponti
  servitii gravida nube adoperta caput.
quae mihi tunc lacrymae! Troia viduata toroque
  in foedo fusum pulvere linquo virum:
quid iuvat ulterius caeli convexa tueri?
  scilicet Hermiones sordida serva feror:
amplexorque pedes Thetidos liquefacta perennis,
  qualis praecipiti quae fluit unda iugo.

T. WARTON

II

NON tibi nympha, Paris, furia est sociata iugalis
  Tyndaris Iliacos in thalamos Helena:
illa rates Troiae innumeras inimicaque castra,
  ferrumque et flammas intulit Argolicas:
illa meum leto dedit Hectora, quem prope muros
  raptavit Thetidis filius aequoreae:
meque ferox capta victor procul egit ab urbe,
  mutantem duro sceptra domumque iugo.
quos ego tunc gemitus, quos fudi ad littora questus,
  et patriae et cari coniugis in cineres!
heu me infelicem! quid iam mihi vita supersit
  Hermiones famulae? cuius adacta metu
ad fanum hoc supplex fletu consumor inani,
  ut fons perpetuis saxa rigat lacrimis.

GRENVILLE

III

NON sibi coniugium sed pestem ad Pergama duxit,
  Tyndarida ad thalamos cum tulit ille Paris;
hinc Troiae clades, quam Graio milite captam
  et ferro et flammae mille dedere rates:
hinc cecidit coniux Hector meus, hei mihi! circum
  Tröia Achilleis moenia raptus equis.

hinc ipsa a patria peregrina ad litora veni,
servitii invisos hic subitura dies:
utque domum et thalamos et sponsum caede iacentem
destituo, quantis fletibus ora rigo!
quid vitam moror invisam servire coacta,
arbitrio et dominae taedia mille pati?
ergo amplexa deam sic dextra supplice flendo
conficior, veluti saxa teruntur aqua.

H. H.

27 *IN VITAM HOMINIS*

NIL stabile aut fixum manet heu mortalibus aegris!
pulchra quidem Chii sunt ea verba senis—
'ut folia in silvis, pereunt ita saecla virorum'—
aure bibunt omnes, pars quota mente tenent
atque infixa animo? spes fallax omnibus adstat,
praecipue at iuvenum corde vigere solet:
donec enim primo vitae sunt flore superbi,
irrita secura somnia mente movent:
sperant perpetuam atque immunem morte iuventam,
et fore se validos tempus in omne putant:
at spes falsa nimis! nescis, male credule, nescis,
quam sit flos vitae totaque vita brevis:
haec tecum reputans, aevi bene prospice finem,
indulge et genio, dum datur hora frui.

H. H.

II

REBUS in humanis nulla est constantia certa,
veridico vates Chius ut ore canit;
'non minus est foliis hominum gens fluxa caducis:'
pauci, ubi fixerunt auribus illa suis,
pectoribus fixere: animis namque indita quondam
spes teneris blande credula corda fovet:

et, dum laeta viret fecundo flore iuventa,
  percursant animos irrita multa leves:
nec senium mortemque pavet: neque, corpore sano,
  provida venturi cura doloris adest.
o mens stultorum male credula, qui brevis aevi
  tempora non norint quam fugitiva volent:
at tu praemonitus nigrae ad confinia mortis
  laetus age et genio gratificare tuo.

229 *IN RVBECVLAM PAPILIONEM INSECTANTEM*

QVID tibi, quod poteras urgere, rubecula, muscam
  formosam imbellem, quid tibi cordis erat?
floribus insidens huc illuc aethere puro
  (hoc etenim solum vult) sine fraude volet:
tu solamen ades nostri intra tecta doloris,
  laetior aestivi temporis illa comes:
quid vetat in sudo vos una ludere caelo,
  una caeruleos pervolitare polos?
illius effulget rubicundo penna colore
  illita, pectoribus non superanda tuis:
si tibi pax nidi, volucrum carissima, curae est,
  illam tu vel ama vel sine liber eat.

H. H.

231 *The soul uneasy and confined from home*

. . Intra se condita et omni
irrequieta loco, vita requieque futura
mens sese reficit, speque hac demulsa quiescit.
  Aspice, fac, miserum positumque sub ignibus Indum
sidereis: animam studiis atque arte vacantem
corporis inclusam vinclis habet: at tamen ipse
numen habet, numenque suum nunc spectat in udis
nubibus aut venti vectum stridoribus audit.
nulla humilem docuit ventosa scientia mentem

tollere sublimem flammantis solis ad orbem,
nulla viam lactis dubio contingere visu:
ipsa tamen simplex et ab omni libera fuco
spem natura dedit caeli vitaeque futurae:
caelum, quod sperat miser, haud extenditur ultra
sperantis visum, superans vix culmina montis,
montis, qui praeceps caput inter nubila condit!
densus et umbrosus lucus spem terminat omnem;
hic vitam expectat, dulci quae plena quiete,
quaeque sit ac praesens pavidis minus anxia curis:
insula votorum summa est, circumflua multis
sedatisque undis, meliora habitacula praebens;
quae patriam et dulces videatur reddere campos!
qua non sit Stygio qui terreat agmine daemon,
non qui, doctrinam Christi nomenque professus,
auri vesano ac sitibundo fertur amore.
quod natura urget, quod suadet et appetit, unum
explet: caelicolum sibi non desiderat ignes,
non quibus armatus volitat citus angelus alas.
quin putat esse canem, fido sibi foedere iunctum,
eiusdem caeli socium civemque futurum.

J. J. G. AM-ENDE, A. S. 1742

12 *SOLES OCCIDERE ET REDIRE POSSVNT*

OCEANI in fluctus, quoties redit Hesperus, igne
praecipiti pronum video descendere solem;
nec longum et radiis isdem similique vigore
urget iter solitum, rutilique insigne diei
purpureum referens, illaeso ardore refulget.
instabiles video ventos sine lege vagari
incertamque agitare fugam; nunc flamine molli
leniter aspirant, rapido nunc turbine fervent,
perpetuumque tenent vario licet impete cursum.
Fontibus occultis sese erumpentia primum

flumina, mox prona immensum glomerantur in aequor:
haec fugiens abit unda, supervenit altera, et amnes
fluctibus assiduis lapsuque feruntur eodem:
usque novae funduntur opes, venaque perenni
copia inexhaustis fecunda evolvitur urnis.

GVLIELMVS DOBSON, A. S. 1734

233 *IN BREVITATEM VITAE SPATII HOMINIBVS CONCESSI*

HEI mihi! lege rata sol occidit atque resurgit,
lunaque mutatae reparat dispendia formae,
astraque purpurei telis extincta diei
rursus nocte vigent. humiles telluris alumni,
graminis herba virens et florum picta propago,
quos crudelis hiemps letali tabe peredit,
cum Zephyri vox blanda vocat rediitque sereni
temperies anni, fecundo e caespite surgunt.
nos domini rerum, nos magna et pulcra minati,
cum breve ver vitae robustaque transiit aetas,
deficimus; nec nos ordo revolubilis auras
reddit in aethereas tumuli neque claustra resolvit.

J. JORTIN, A. S. 1748

II

SOLES occidere et redire possunt,
nec cessant reparare damna lunae;
stellas, quas oriens dies subegit,
secum nox rediens redintegrabit;
flores graminaque, e sinu quot almo
tellus progeniem parit venustam,
vim mortis patiuntur haud perennem,
queis afflavit hiemps fero rigore:
surgunt, quum zephyro iubente caeli
glebam calfaciunt sereniores.
nos terrae domini superbientes,
nos, qui grandia facta pollicemur,

amisso cito flore dulcis aevi,
post tempus breve marcidi perimus;
nec cum vere novo novatur aetas
nobis: semper hiemps premit sepulcra.

S. L.

235 *Weep not over poet's wrong*

NON tibi ploranda est iniuria vatis iniqua,
noli flere nimis, quod male damna tulit;
quippe dolor reficit, velut ubere fonte, camenam,
ingeniumque animo mitius inde venit.
matutina rubent praedulci serta colore,
roscida quae lacrimis sol vigilare iubet;
imbribus et fruitur tellus recreataque gaudet,
interea ramos concutiente noto.
si temere errantis calcent vestigia flores,
ilicet effusum se dedit omnis odor:
et si rite aurum ferus exploraverit ignis,
splendore ingenuo lutea vena nitet.
sidera tum produnt, quum nox caligine terras
induit, in tenebras deficiente die:
ni pluviam lacrimans nubes stillaverit, arcum
imbriferum nullo pingit honore Deus.

J. G. L.

238 *The smiling spring comes in rejoicing*

VER redit exultans, ver rursus amabile ridet,
et tristi fugiens ore recedit hiemps;
splendidiora vitro labentia flumina currunt,
lumine purpureo fulget aprica dies;
aurora exsiliens montana cacumina vincit,
et tumidam oceani vesper inaurat aquam;
aspice laetantur redeuntis imagine Phoebi
omnia; formosa Phyllide laetor ego.

ver sua serta dedit, ver lucida proterit aestas,
aestatem autumnus pone secutus adest,
excipit hunc hiemis rigor, interiturus et ipse,
veris ubi laetus dulce renidet honor.
sic natura vices iterat, cita praeterit aetas,
per tempestates sic vetus annus abit;
cetera mutantur, sed non ego mutor; at idem
pectore constanti Phyllida semper amo.

J. G. L.

II

ADVENIT en iterum, ver risibus advenit almis,
horridior brumae vis superata fugit:
dulcisono lucent crystallina flumina lapsu,
et rutilo caeli caerula sole tepent:
imbuit aurorae montana cacumina fulgor,
imbuit aequoreas lumine vesper aquas;
omnia delectat rediens animalia Phoebus,
et nos delectat Delia, noster amor.
floriferum iam sole nitens ver excipit aestas,
autumnusque instans aureus urget iter:
ordine subsequeris tu bruma, asperrima rerum,
dum reddit laetos ver geniale dies.
tempora labuntur tacitisque senescimus annis,
natura atque aetas dant referuntque vices:
nos constans, longis mutari nescius annis,
usque regit fidos, Delia, noster amor.

239 *NEMO ME LACRIMIS DECORET*

OCIOR, alato quam cum pede praeterit aestas,
avolat aut rapido laeta iuventa gradu;
ocior et noctis, cum nox gratissima, lapsu,
venisse et volucri visus es ire fuga.
qualis ubi tellus extinctum ob frondis honorem,
qualis ubi maeret nox quia somnus abest,

quale cor incassum cum gaudia rapta requirit,
  sola queror mecum, te sine sola queror.
lilia debentur geniali candida lecto,
  matronae capiti plexa corolla rosis;
cumque puellari sit idoneus ille feretro,
  flos mihi sit violae versicoloris honos;
sparge super vivum quod porto in corpore bustum,
  spargendo lacrimas comprime, quisquis ades;
nemo me decoret, quamvis est carus, inani
  munere: amicorum speque metuque vacem.

H. A. J. M.

41 *Why sit'st thou by that ruined hall*

'QVID tibi, curve senex, hirsuta squalide fronte,
  ante ruinosam cura sedere domum?
an tibi avitus honos et gloria prisca recursat,
  an subito eversae tristia fata gemis?'
'mene adeo nescis,' infit vox rauca sedentis,
  'qui tibi non merito gaudia tanta tuli?
ille ego quem votis optas modo, negligis idem,
  et querula incusas mobilitate mali:
ille ego cui pereunt homines hominumque labores,
  non secus ac clara lina perusta face:
ille ego cui crescunt, decrescunt regna vicissim,
  quo duce conduntur, quo peritura vigent.
tu vero repara, spatium breve ceditur, horas,
  donec in hoc stillant grana minuta globo:
tristia sive feres seu laeta, ea fine carebunt,
  non iterum visum cum tibi Tempus ero.

H. A. H.

42 *Through groves sequestered, dark and still*

EN ubi lucorum per caeca silentia fallit
  perque humiles valles inter et antra viam,

languidula et scatebris, dum repit, murmura muscum
  rivulus ad tactum fundere lentus amat:
per campum ludens tortis modo flexibus errat,
  deserit et notos multa moratus agros:
et modo de saxis devolvitur impete miro,
  oceanoque suas addere gestit aquas.
o! mihi non aliter per amoena umbracula vita
  sub latebris tutum devia ducat iter:
iurgia nec possint nec honores sanguine parti
  nec sitis argenti commaculare lacus.
tranquillo pariter volvantur flumina cursu,
  gaudia cum marcent cumque fatigat opus:
deinde senectutis molli super ardua lapsu
  Elysii in tutas pura ferantur aquas.

W. S. W.

II

QVALIS per nemorum nigra silentia,
  vallesque irriguas, et virides domos
serpit fons placidus murmure languido
  secretum peragens iter;
flexas per patrios circumagens aquas
paulum ludit agros et sinuat fugam,
donec praecipiti iam pede defluus
  miscetur gremio maris:
talis per tacitam devia semitam
aetas diffugiat, non opibus gravis,
non experta fori iurgia turbidi aut
  palmae sanguineum decus:
cumque instant tenebrae et lux brevis occidit,
et ludo satura et fessa laboribus
somni frater iners membra iacentia
  componat gelida manu.

J. JORTIN, A. S. 1748

4 *Blows not a blossom on the breast of spring*

DEFLECTIT quoties herbam levis aura supinam,
verna novo quoties flore renidet humus:
alta polo volucris quoties canit, aura salubris
fit mihi, dulcisonum carmen, odorus ager.
invidiam moveant aliis domus alta, superbum
nomen, opum fulgor: nil mihi tale peto:
sit modo pax laribusque salus vicina, sit arbor
fronde virens, gelidae sit prope murmur aquae.
at iuga cum prima sublucent pallida luce,
opperiar solis spicula laeta novi;
egrediarque casa capturus naribus auram
quae nascente venit pura recensque die:
saepe inter dulces curas vestigia sistam,
ut, quo flore oleat suavior aura, notem:
melliferumve agmen iucundo mulceat aures
murmure, pervolitat dum iuga plena thymo.

H. A. H.

II

EXPLICET in gremio veris se flosculus, aura
mulceat afflatu prata supina levi:
fundat avis tremulos sublimis in aëre cantus,
suavis odor sequitur cumque salute melos.
nec titulum nec qui tholus invida pectora turbet,
nec fulgorem auri mens bene docta cupit:
sed nutent frondes, gelidus sed murmuret amnis,
sintque humili comites paxque salusque domo:
culmina dum supra montis lux glauca coruscat,
mane novum obiciat spicula prima mihi:
silvestrem linquam casulam securus, ut auras
captem quas nascens spirat odora dies:
tum sistat, siquid levius meditabor eundo,
flos cui delicias debeat aura pedem:

auribus excipiam mulcentem taedia cantum,
quem canit in clivo, dum thyma quaerit, apis.

D'A. W. T.

249 *FLORAE PRIMITIAE*

VIRGINEUM casto caput en! recline pudore
flosculus ostentat, de nive nomen habens:
ecce! recens natum primus resalutet ut annum,
exerit e gelida se properanter humo.
nec rigidi conterret eum inclementia caeli
frigida nec boreae vis hiemisque minae:
axe statim verso, quin protinus exit in auras,
veris ut instantis nuntia laeta ferat.
nativo quamvis cultu candoreque simplex
pulcrum illa inducit simplicitate chorum:
nec totidem veneres inter, quotcunque sequuntur,
se primum dubitat promeruisse locum.
quidquid enim tenerum spirant vel amabile miscent
lilia vel violae purpureaeque rosae,
quique aliis alii succedunt floribus, omne
ex uno excipiunt simplice flore decus.

V. BOURNE, 1750

250 *The bird let loose in eastern skies*

INSTAR columbae, cum patrias avet
redire sedes, libera carcere,
non illa declinat volatum
inter aves aviumque sedes
ignaviorum, sed properat morae
victrice penna per spatia aetheris
immensa, qua nec terra claudat
nec vapor officiat volanti:

curae vacantem me pariter, Deus,
intaminatum sorde libidinis,
da posse virtutis per auras
ire, tuo refovente sole,
sinceriores; nube nec occulat
fraus ulla cursum, quin revolem domum
trans astra, Te solvente pennam,
parte mei meliore victor.

H. A. H.

52 *My soul is dark—oh! quickly string*

TENDE mihi—nam nube premor, nam tristia turbant
pectus—adhuc placitae fila canora lyrae:
molliter et raptim digito mihi percute chordas,
et blandire meis auribus arte tua;
percute, ne peream: spes siqua in corde fovetur,
proliciet magicis barbitos ista modis:
lacrima siqua subest oculis, mox profluet inde,
nec fessum posthac uret, ut ante, caput.
sed primis, oro, modulare incondita chordis,
non faciunt hilares ad mala nostra modi:
crede mihi, fidicen, flendo egessisse dolorem,
pectora ne findat turgidiora, iuvat:
mens maerore diu nutrita exaestuat intus,
nec patitur laetas irrequieta vices:
et nisi fit cantu tractabilis, ultima tento,
non alia ars laesae ferre valebit opem.

H. A. H.

53 *Come take thy harp: 'tis vain to muse*

EIA age, sume lyram: quamvis sors durior instet,
semper in obtutu quid iuvat esse mali?
sume lyram, mea lux, nostraeque medebere curae:
sola mali sensum voce fugare potes:

incipe, cara, modos: quid si mors ipsa propinquet,
mortis at immemorem fecerit iste canor:
flesne? miserta mei fletus compesce molestos:
nam bene erit quondam: sors magis aequa manet.
si modo, cara, semel nivis aemulus iste lacertus
se dederit dulci rursus ut ante lyrae:
protinus abstiterim mala praecepisse, daturus
ludibrio fati te propiore minas.
tu modo da rursus lugubrem audire querellam,
quae nobis olim sic in amore fuit:
dum rude iam pectus fuit ad mala, qualia passis
nunc eheu! nobis vel meminisse dolet.

H. A. H.

254 *Now spring has clad the groves in green*

VERNA dies lucum viridi iam cingit amictu,
iam facilem sparso flore coronat humum;
aspice sulcatos undet quam laeta per agros
caeli deciduo rore novata Ceres.
omnia sic passim, quot nutriat aurea tellus,
uno animo luctus seposuere suos,
cur mihi contingunt soli, superante dolore,
languida fessorum signa trahenda pedum?
fontis at in scatebris argenteae more sagittae
exultat tremulas findere piscis aquas;
nec metuit pendente rubi securus in umbra,
piscator varios qua struat arte dolos;
par erat huic rivo quondam mea vita protervo,
lubricus haud aliter quondam ego piscis eram;
sed nimio fervens amor implacabilis igne
flumina siccatis nostra perussit aquis.
255 Flosculus ille procul sola sub rupe latescens
gemmas quam facili sorte potitus alit!
illi quis rudior turbaverit advena pacem,
quam merula assueta saepe reducta fuga?

nostrum erat hoc olim, dum praetereuntis amoris
  florem torruerant flamina saeva meum;
eheu! letifero raptim periere sub austro
  quot mihi deliciae, quam iuvenile decus.
cantibus interea laetis excussa sopore,
  mane novo caeli scandit alauda polum:
protinus et plenis humentem roribus alam
  vibrat in eoas laetificata rosas:
sic mihi lascivo modo vis contempta dolorum,
  donec inexperti venerat hora mali;
florea dum magici plaga me raptarat amoris,
  aut famulus curae denique factus eram.

A. H.

II

IAM ver fronde nemus, iam pratum flore coronat,
  iam laetans almo fluctuat imbre seges:
omnia tristitiam certant deponere: cur me,
  unum cur lentus me premit usque dolor?
lucida vibrantes ceu missa sagitta per undas
  truta levis rivo sub trepidante micat:
et salicum umbrosis gestit celata latebris
  occultos hami temnere tuta dolos:
sic ego, sic olim vitam securus agebam,
  nunc saevis fontes ignibus urit amor.
Qualis in herboso sub rupe quieta recessu
  nota vagae tantum primula crescit avi:
sic ego: nunc iuvenile decus, nunc prisca maligno
  perdidit afflatu gaudia dirus amor.
mane vigil madidas dum ventilat aethere pennas
  vocalis roseum scandit alauda polum:
sic ego: mellita nunc fraude fefellit et aegris
  addixit curis insidiosus amor.

C. B. S.

III

VER rediens silvam viridi vestivit amictu,
et variis sparsit florea prata comis:
laetantur pluviis segetes, sulcique renident
inter odorati mollia flabra noti:
consensu rerum natura exultat eodem
undique tristitiae deposuisse vices:
a, mihi cur pes est inter tot gaudia tristis,
cur mens sollicitis irrequieta malis?
pernix ante oculos argenteae more sagittae
truta susurrantes permeat amnis aquas,
quam ficta tentans musca piscator et hamo
nescit sub patulis delituisse rubis.
me nusquam fluxit quondam securior amnis,
nec levior iuveni pectore truta fuit:
ardenti sed enim mansuescere nescius aestu
siccavit nostri flumina fontis amor.
Quam placidam carpens rupis sub tegmine sortem
explicat incolumes flosculus iste comas!
scilicet hunc tantum volucris vaga visit et altam
nil aliud vexat per fruticeta domum:
talis eram, donec penetrabile flamen amoris
exussit tenero gaudia cuncta sinu.
excutitur somno praenuntia lucis alauda,
et matutina fertur ad astra fuga,
quam secura quatit madefactas roribus alas,
Aurorae et roseo laetificata die.
sic ignorabam, quid posset cura, priusquam
texit amor saevos non sine flore dolos:
tum vero flenti labor additus, ut mihi nullis
vincula deliciis excutienda feram.

J. M. L.

IV

NUNC siluae rident indutae veris honore,
omnis et insperso flore renidet ager;
per sulcos agitant nutantes gaudia messes,
quas creber laetis educat imber aquis:
cetera sic certant in terris undique luctum
qui fuerit placido deposuisse sinu:
cur ego solus agor curis? vestigia solus
cur ego constanti fessa dolore traho?
truta sub hoc rivo liquidis qui murmurat undis,
ut candens arcu missa sagitta, volat,
tutaque pendenti latitans sub vepre dolosos
non hamos metuit, non positam arte necem.
illius instar aquae quondam mihi vita fluebat,
ludebam latebris ceu vaga truta suis:
venit at et fontes radiis immitibus urens
siccavit liquidos hei mihi! durus amor.
Nascitur ex clivo tenuis qui flosculus isto
intactae curis otia sortis agit,
nec nisi si tenera est adlapsa rubecula penna
ullius instantes scit doluisse minas.
sic mea sors fuerat: sed amor praefervidus aura
irruit, et vitae flos abiitque decus;
et languent rapido flatu nunc strata iuventae
gaudia: quin strata est ipsa iuventa simul.
exsilit et cantus effundit alauda novatos,
inque suum semper tentat adire polum,
ventilat et pennas, primo quae rore madentes
laetitiam ante oculos pandere solis amant.
sic ego festivo gaudebam tempore: nec mi
vexarat stimulis pectora tuta dolor:
cepit at heu! miserum suavi me fraude plagisque
implicitum curae tradidit ater amor.

W. S. W.

263 *The clouds that wrap the setting Sun*

FINE sub autumni cum iam sol mitigat ictus,
et lentas visa est nectere saepe moras,
inter amicorum discrimina mille colorum,
occiduae nubes addita multa viae;
dic age, qui spectas sinuosa volumina ferri,
cur ipsis animam nubibus esse putes?
falleris, an, blandi quia vis percellit amoris,
auricomum amplexu circumiere deum?
qui maris innumeros nemorosa e valle cachinnos
cernit et attonita percipit aure sonum,
fallitur, an, refluas utcunque resorbeat undas,
commovet oceani pectus anhelus amor?
scilicet, haud dubiam speciem quia praebet amantis,
hinc facile est animam credere inesse mari.

H. A. H.

264 *IN CITHARAM AEOLIAM*

O SACRA progenies, blandae quibus aëre sedes,
quas cecinisse iuvat per nemora alta Deum:
terrigenis haud visa cohors, variate lyrarum
murmura nunc grandi nunc leviore sono.
motibus! a subito teneris impellimur: ardet
en! corda insolito conscius igne procus:
anxia at has certe testudine nympha querellas
effudit tremula iam moritura manu.
audisti? arrectas gravior sonus incutit aures;
an sacra eremitae pollice fila tonant?
an vates pius ille, vagans per devia tesqua,
qui flevit patriae crimina, plectra movet?
tale Sion olim lugebat maesta dolores
Euphratis querulo carmine propter aquas:

tale adeo caeleste melos morientibus olim
justis caelituum dona tulere chori.

N. KERR, A. S. 1802

58 *AD PVELLAS.*

ITE rosas carptum: cessantibus avolat aestas:
nascentes carptum, dum licet, ite rosas:
flos novus in pratis hodie qui ridet, eundem
crastina marcentem straverit hora solo.
ipse coruscanti qui lustrat lampade caelum
sol, quo sublimes altius egit equos,
de spatio facit usque minus superesse diurno,
vergit ad occiduas et magis usque plagas.
dum calidus sanguis, vegetaque integra iuventa
membra calent, aetas optima prima venit:
quae simul interiit, tacitis corrumpimur annis,
semper et in peius tempora degenerant.
vos ergo faciles concessos carpite ludos,
dumque potest properet nubere nympha viro:
si semel incautis defluxerit, auferet aetas
verna maritales non reditura faces.

C. B. S.

II

ECCE fugit tempus pernix, nescitque teneri:
florea, dum liceat, carpite serta manu:
en, quo nunc varios duxerunt prata colores,
crastina lux veniat, flos moriturus erit.
cernis ut aërii superans fastigia caeli
splendidus ignivomis sol rapiatur equis?
ille viam flectit, quantoque ardentior instat,
est brevius tanto praecipitantis iter:
quae data prima viris haec est iucundior aetas,
sanguine cum venae fervidiore tument:

haec ubi deciderit semper peiora sequentur,
semper et in peius tempora lapsa ruunt.
ergo age neu vano disperdite tempora ludo:
non Venus optatum foedus inire vetat.
at cum prima semel deflorens fugerit aetas,
praeteritos frustra flet periisse dies.

R. N. S.

III

CARPE nascentes, sinit hora, flores:
labitur velox neque cessat aetas:
cras enim, quae nunc hodie renident,
serta peribunt.

Altior quanto tenet alta caeli
aureae Titan oculus diei,
occidit tanto citiore cursu
pronus in aequor.

Optima est aetas nova, cum calescit
sanguis et pectus iuvenile. peior
tum subit, prima pereunte: post hanc
pessima restat.

Nympha, ne sis difficilis, sed annis
utere et, dum fas, age nube: lapsa
nam semel forma, poteris morari
innuba semper.

H. H.

269 *I have a garden of my own*

Ἐμοὶ τέθηλε κῆπος
φαεινὸς ἀνθέμοισιν,
ἀεὶ δὲ καὶ μόνη νιν
φιλοῦσα, σοὶ, φίλιστε,
συνοῦσ' ὑπερφιλήσω.
ἐκεῖ θέρους ἐν ὥρᾳ

χρυσόπτεροι μέλισσαι,
σὺν ἡλίῳ φανέντι,
εὔοσμον ἀμφ' ἄκανθαν
ἐγεροῦσι βομβέουσαι.
ἔχω δὲ νεβρὸν ἄγροις
ἐν Ἀδένοις τραφέντα
δένδρων κόμῃ τερείνῃ·
καὐτὸς τροφὴν παρέξεις
σὺ χειρὶ κεἰ τὸ πρῶτον
φοβούμενον πτοήσεις·
ἄξω δ' ὅποι κλιθέντι
μεσημβρινῆς ἀπ' αὐγῆς
κοιμηθὲν ὄμμα θέλξεις
πόδας δὲ μαρμαίροντας.

C. S.

272 *The boatmen shout, 'Tis time to part*

CONCLAMANT nautae, memini, 'discedere tempus,
nec licet instructa perdere nave moram':
lumina tum vero quantum vel voce tacente
significent, docuit nympha cor illa meum:
passibus accedit tremulis similisque labanti
et conata fuit dicere lingua vale:
lingua sed in medio torpet defecta palato
inter inauditos voce cadente sonos:
mox deflexa meo circumdat bracchia collo,
prodit et obtutu qui fuit intus amor:
et velut incumbit silvam super aura, pependit
non secus in gremium fusa puella meum:
haerentem ut cupidis amplector molliter ulnis,
ut mihi laetitia corda micare putas!
flebat at illa magis dixitque miserrima verba:
'o utinam ille tui non subiisset amor!'

H. A. H.

274 *LAPPO AD DAMAM*

DAMA, citos age, dama, pedes: per inhospita tesqua
(iussit amor) celeres adproperemus iter:
dama, citos age, dama pedes: vae! lentior ibis?
fulguris ala ferat; fulguris instar amor.
en! circum nigras horrescit canna paludes;
cernere erit pronum solis abire iubar:
nocte fatigati per lustra ignota vagemur,
carmina quae poterunt fallere dura viae?
haec infausta palus, spatium illaetabile aquarum,
exsuperat sparso prata decora croco;
ipse per hanc animae peto vitam et lumina nostrae,
prata valete mihi florea, inane decus!
dum moror, absentem tardissima praeterit hora,
carpitur insano dum meus igne sinus;
dama, pedes moveas properantius alite vento,
teque mei lentum pectoris ardor agat!

N. KERR, A. S. 1802

281 *The rites derived from ancient days*

ACCIPIT exiguo cultus discrimine laudes
ritus ab antiquo traditus omnis avo;
nempe hic, qui docuit nimia dulcedine captos
Bacchum Pierio consociare choro;
qui saturum iussit media inter carmina pectus
impleri vino deliciisque cibi.
lenire at tumidos, at spe renovare carentes,
non lyra, non dulcis tibia docta fuit;
maesta nec in tecta has misit mos ille vocatas,
quae miser esuriens, quae gravis ultor habet,
quave hostis fraudes secum meditatur in hostem,
qua vim percussor mente necemque parat.

vos in sollicitamque umbram sontumque latebras,
  en age! Pierii, deproperate, viri;
neve supervacua faciles satiare velitis
  laetitia festam deliciisque domum.
[vix opus est cantu, quo laetior hora bibendi
  convivis inter pocula semper eat;
illa potest Musis bene mensa carere canoris,
  quam cumulat cornu copia plena suo.]

A. H. W.

II

LAUDAMUS laudata prius, ritusque vetusti
  nescio qua vana religione placent:
hinc moniti festae Musas induximus aulae,
  miscerent largo quae sua dona mero:
hinc nimiis numerique simul cyathique dapesque
  pectora deliciis iam saturata movent.
sed nunquam tumidos lenivit tibia fastus,
  nec lyra curarum triste levavit onus:
sed nunquam miseras mulsit canor ille latebras,
  qua dolet aegra fames, qua gravis ira tumet:
hostis ubi ense suo periturum saevit in hostem,
  mensque parat varios insidiosa dolos:
quin procul hinc caecas curae scelerisque cavernas
  ite, quibus laetos cura ciere modos:
laetitias festis nimias inducere tectis
  parcite: quid saturos exsaturare iuvat?
[dedita quippe epulis currit velocior hora,
  currit, Apollineam nec sibi poscit opem:
dulcisona sine voce lyrae, sine voce canentis,
  ipsa satis per se mensa onerata placet.]

J. M. L.

III

NON immerito culpanda venit
  proavum vecors insipientia,

289 *Home they brought her warrior dead*

MORTUUS e bello sua fertur in atria miles:
nec fluit ad terram sponsa, nec ore gemit.
aspiciunt, unaque canunt haec voce puellae:
'a! fleat—est lacrimis, ne moriatur, opus.'
inde viri repetunt summisso murmure laudes:
'dignus erat,' narrant, 'quem sequeretur amor,
'fidus amicitiis, ipsos generosus in hostes'—
illa tamen nullos dat stupefacta sonos.
labitur e mediis, nota statione, puellis,
et leviter gradiens nympha cadaver adit:
dimovet a rigido feralem sindona vultu:
illa tamen siccis torpet, ut ante, genis.
surgit ibi ter sex lustris iam consita nutrix;
in gremium pignus dat puerile viri:
imber ut aestivus, rupit pia lacrima fontes—
'tu, puer, in vita cur morer,' inquit, 'eris.'

R. C. J.

II

IAMQVE domum ducis exanimi vexere cadaver:
illa nec exclamat nec sine mente cadit.
omnes, attonitae visu, dixere ministrae;
'flendum est: ni poterit flere, necesse mori est.'
voce susurrantes molli tum laudibus illum,
quam fuerit summo dignus honore, ferunt.
ingenuum memorant hostem, fidumque sodalem:
incassum:—immota est et velut ante silet.
tum surgens tacite virgo de sede iacentem
incessu leni venit ad usque virum;
et de marmoreo tollit velamina vultu;
sed neque tum mota est illa nec ora rigat.
mox novies denos nutrix quae viderat annos
ad matrem puerum fert genibusque dedit:

actum est: prosiliunt lacrimae, ceu vere procella,
  victaque iam clamat, 'vivo ego, nate, tibi.'

H. H.

294 *AD FRATRIS TVMVLVM*

DULCE domus quondam: sed nunc mutata timebam
  ora patris luctu rursus adire mei;
quaeque faterentur genetricis maesta dolorem
  lumina et incerto conscia lingua sono:
nunc metui campos nataliaque arva tueri,
  ille ubi cui fuerant suavia frater abest:
heu! quorum fuerat testis prius, ille sepulchro
  abstulerat secum gaudia mersa suo.
ventum erat ad limen, nec quisquam erat obvius, ut me
  exciperet risu, ceu prius, ante fores;
successi tectis; ibi nil nisi flebile vidi,
  scriptus erat matris saevus in ore dolor;
miscuit et gemitus amplexibus illa, paterque
  lumina suffusis uda gerebat aquis:
quosque beat luctus aetas secura, minores
  occurrunt genibus, laeta caterva, meis.
a! dudum lux ista licet mihi fugerit, unquam
  me sinet angoris non meminisse sui?

C. B. S.

II

DULCE domus quondam: sed nunc tremibundus adibam,
  ne mutata mei conspicer ora patris:
et timui praesens praesentem visere matrem,
  ne vox sollicito plena dolore foret;
vix loca sustinui bene nota revisere, adempto
  cui fuerant olim cara sodale, soli:
illa laris fugit nunquam revocanda voluptas,
  et cum fratre perit contumulata meo:

iamque propinquabam tectis, portaeque subibam,
  risibus at facies obvia nulla fuit:
limina iam tetigi: squalebant omnia luctu:
  et patris heu! salso rore madere genae:
osculaque ut pressit labris, suspiria sensi
  matris et in vultu signa doloris erant:
stipabant fratres laetis pueriliter annis,
  nescia communis parva corona mali:
acta loquor dudum—sed maesta recursat imago;
  quando ego non horum commonefactus ero?

H. A. H.

300 *AD CINARAM*

MANE novo nuper me sanctior impulit ardor
  carminibus dominam fingere velle meis,
qualis prae cunctis contingere possit amanda,
  quam venerer vatum more pieque colam;
pulchra foret, sollers, eadem generosa volebam,
  clara atavis, cultu sed mage clara probo:
clarius arderet non Lucifer aequore surgens,
  nec par de summo mitteret axe iubar:
blanda placens esset facilisque perosaque fastum
  qualis inest amplo, culpa molesta, loco;
poneret et virtus mollissima quaeque volebam
  pectore sub molli consociata domum;
tantum docta simul mens adforet atque virilis,
  ingenii aequalis compositusque tenor,
arbitra ternarum regeret quae fila sororum,
  ipsa suos posset quae sibi nere dies:
hanc ubi fingebam, nec spes erat ulla videndi,
  Musa mihi, 'Cinaram pone,' ait: 'ipsa tibi est.'

C. B. S.

302 *But hark, the din of arms! no time for sorrow*

AUDIN ut arma sonent: non fletibus hora terenda est;
  ilicet admisso Mars obeundus equo:

dividor heu! medios iamiam ruiturus in hostes,
  seu mihi fata dabunt vincere sive mori.—
itur; at illius taeterrima noctis imago,
  horrisoni gemitus, creber et igne polus:
mox, ubi prima dies vana spe decipit orbos,
  praefluit heu! rubris decolor amnis aquis:
ecce redit sonipes et portis astat anhelus,
  astat, at heu! nullo frena regente redit.
fallor, an auditur fremitus victrice caterva?
  quae lacrimae, qualis sospite risus hero!
hic aptat galeam, patris hic accingitur ensem,
  postibus hic festis laurea serta parat:
at dilecta quater coniunx, nunquam ante relicta,
  haeret in amplexu non retrahenda viri.

H. A. H.

303 *AD AMANDAM*

RIDENS mane dies, spirantis tempora veris,
  dulce movent querulas fundere carmen aves;
vocibus et ramo dum respondetur ab omni
  miscet amor totum consociatque melos:
nos quoque prudentes carpamus tempus, Amanda,
  nos quoque carpamus quae levis hora volat;
labentemque diem molli dedamus amori,
  densat ubi arboreas Inverumaia comas.
mox etenim, mox bruma aderit revolubilis anni,
  ipsius et vitae bruma senecta premet:
haec tibi deripiet formonsum, crede, colorem,
  vernis ut spoliat frondibus illa nemus:
tunc et transierit nobis exhausta voluptas,
  et cessante avium carmine cessat amor:
et cum gens avium languet, languemus et ipsi,
  haud mora, dicendum est, Inverumaia, vale.

W. D.

304 *The winds are high on Helle's wave*

ASPERA saevit hiemps per aquas Athamantidos Helles,
ut freta nocturno sunt tumefacta noto,
misit ubi, emissumque amor est oblitus amantem
tutum funereis edere rursus aquis:
occidit ille decens, ille impiger, ille suorum
gloria—deliciae, Sesti puella, tuae.
o, ubi tantum alta de turre salutifer ignis
eminus aerias fecerat ire faces;
quanquam cana feris iterabant aequora ventis,
quanquam litoreae dirius omen aves:
infraque oceanus praeceps, supra horridus aether,
tristia mutandi signa tenoris erant;
non audita viro fatalia murmura: non est
praescia venturi visa figura mali:
unum oculi spectant ibi lumen amoris, et unum
illud adorandi sideris instar habet:
sola tua est, Hero, vox auribus indita: 'fluctus,
parcite amatores dissociare diu.'—
id vetus est: sed enim volvendis mensibus ardor
possit in ingeniis tam pius esse novis.

H. T.

305 *The winds are high, and Helle's tide*

IMPERAT Auster aquis, stagnumque Athamantidos Helles
nigrescens tumidis fluctibus aestus agit:
iam loca nequiquam toties madefacta Pelasgo
sanguine nox tenebris contegit orta suis:
contegit eversum Priami senioris honorem,
signaque Dardanii sola sepulchra viri;
cuncta tegit: caeci nisi siqua insomnia vatis
fallere cor poterant non peritura senis:

at mihi sit notos tecum convisere fines,
te per amata ducem litora, sancte, sequi:
condita credere amem non ficti numinis ossa,
hic ubi plus viridi caespite terra tumet:
credere, dum fluctus circum furit Hellesponti,
me quoque Maeonidae visa videre freta:
hoc precor; at certe frigent huic pectora, si quis
nomine plus aliquid te, pater, esse neget.

J. Y. S.

II

ADSPIRANT venti, pontus Nepheleidos Helles
ad pelagus tumidis volvitur ater aquis;
nox ruit, obscura tenebrae caligine condunt,
quae totiens frustra caede madebat, humum:
desertum, Priami fuerat qua regia, campum,
quaeque alios referunt sola sepulchra dies:
omnia nox operit: divina at somnia vivunt
quae poterant Chium fallere saepe senem:
tecum illa, vates, vestigia ponere terra,
et tecum antiquos visere rursus agros,
credenti tumulos qui passim gramine vernant
non ficti cineres quemque tenere viri:
et latum, qualem cecinisti, in litore eodem
Hellespontum undas praecipitare suas,
fas mihi sit longum! vae, pectus frigeat illi,
qui Troiam aspiciens te cecinisse neget.

G. B.

306 *Tell me, thou soul of her I love*

O MENS amatae, fare, fare, quas sedes
hinc evolasti, quas domos beatorum
felix oberras? tune finibus nullis
inclusa quovis alta pervolas caeli?
venisque et ipsa nunc doloris in partem
amans amantis, orbus ut tui deflet

domoque caelibe aegrimonia squalet.
si fas obire, saepe qua solebamus
una ambulare subter arbores notas,
dum colloquentem imago me tui ludit
adesse visa, quotque lacrimae manant
tibi imputantur, si genis diu flendo
lassis soporem det brevem adgemens amnis,
sis ipsa praesto somniisque blandire.

H. A. H.

307 *IN HIEMEM DIVTIVS AEQVO MORANTEM*

CUR, age, tristis hiemps, immansuetissima rerum,
cur trahit ignavas languida penna moras?
aufuge nubifero, precor, aufuge tristis amictu,
trade diem veris iusque remitte deae:
illa alti quoties in culmina caerula montis
conspicitur gracili desiluisse pede,
flamina bacchantur circum frigentia, circum
volvitur obscuro nigra procella polo:
si forte ad vallem confugerit inde reductam
tecta petens imo praesidiumque sinu:
huc quoque persequeris flentique iratior instas,
pellis et invitos ocius inde pedes:
exspes infelix amnem petit; improbus amnis,
immemor et dominae proditor ipse suae,
ilicet invisi contagia percipit oris,
saxeus et lentam frigore sistit aquam.
308 Evocat incassum nascentia germina florum,
non e frigenti prolicienda solo;
evocat; at precibus surdos vis Thessala flores
fascinat, e gelido nec sinit ire sinu:
imperat arboribus nil profectura virorem
sumere et explicita luxuriare coma;

imperat: in nudis arbor sed squalida silvis
  bracchia protendens sicca virere negat:
quin et aves carae maerenti voce queruntur
  te quod tam longae detinuere morae;
exigua et certant tendentes guttura cantu
  pellere blanditiis flamina saeva suis:
at tua, tristis hiemps, tandem desaeviat ira,
  iamque reluctantem in vincula solve diem;
ius tibi praeteriit, defecte senilibus annis;
  surge, repurgato neve morare polo.

12 *See the soft green willow springing*

ASPICE, lenta salix quo nisu certet in auras,
  lenis ubi placido praefluit unda pede;
undique quo iactu sua bracchia libera fundat,
  qua iuncos inter graminis herba viret:
vernali fulget caput ecce rubore, priusquam
  flaminis hiberni conticuere minae:
illius en! sese profert flos ante benignus,
  exiguae frondis quam levis umbra cadit:
hanc licet ira manus inimicae plurima laedat,
  paulisper capitis flectitur omnis honor:
at zephyro redeunte suos atque imbre iuvante
  induit in risus se placidumque nitet.
Sic despecta salix discendum praebet amice,
  mens contenta homini quae bona ferre queat:
haec est pro minimo grates egisse Parenti,
  haec minimo vita laeta parata frui.

A. H. W.

14 *Sweet nurslings of the vernal skies*

LILIA, progenies verni blandissima caeli,
  quae zephyrus mollis perluit, umor alit,
unde isto vobis artem superante magarum
  posse animos risu conciliare datur?

ludere cum pueris una ludentibus, aevi
  fallere vergentis triste potestis iter:
cumque instat senium, brevis et defloruit annus,
  marcida cedentem facta monere diem:
a, de mille procis, quibus estis tanta voluptas,
  qui vos tam blanda sedulitate fovent,
pars quota cognovit, quae sit candoris origo,
  proveniat vultus unde serenus honor!—
ne fugias hodierna: feret lux crastina secum
  siquid habet curae: crastina mitte sequi:
i florumque vicem da noctem, vane, sopori;
  cras tibi sufficiet commoda, crede, Deus.

C. E. M.*

318 *How richly glows the water's breast*

PURPUREA ante oculos lux fluminis aequor inaurat,
  et vespertino lympha colore rubet,
dum rutilo ardori solique adversa cadenti
  carpit iter tacitam cymba secuta viam.
at tenebrae obscurant latices quos illa reliquit,
  risus et in puncto temporis omnis abit;
forsan adhuc pellax effulget, et usque coruscans
  cessantes alios fallit inane iubar.
hae species iuvenem alliciunt mulcentque poetam,
  securum noctis quae cita pone venit;
credit enim stabilis diuturna luce colores,
  dum pax ad tumuli claustra sodalis eat.
a! ne dematur mentis gratissimus error:
  quod si vitae aderit maesta suprema dies,
quis fovet invitus dulcissima somnia corde,
  quamvis cras veniat cura dolorque sequax?

J. G. L.

325 *IN MAIVM MENSEM*

FLUMINA, quae nuper cohibere nequibat Aprilis,
  en! ferre imperium iam voluere tuum;

aut scatebris resonat spumosaque volvitur unda,
  aut vitreis stagni lenta movetur aquis;
tu nebulam, tu sole, potes summittere talem,
  quae miti lente surgere visa sinu
flectitur instabilis, sibi nec confidere gestit,
  ille ubi porrigitur mons viridansque latus.
o sacra pars anni, cui spes nova somnia fingit,
  ne tibi sit fallax hora vel una cave;
neu male gemma tua pereat delapsa corona,
  neve supervacui sit tibi floris honor.
Maie, precor, serva, tu mensis amabilis, artem,
  quae molli tactu te cohibere queat;
forma modesta placet, fugiens nimiumque parumque;
  pars oculis visa est, pars cupienda latet.

J. G. L.

II

UMIDUS Aprilis quos vincere nesciit, amnes
  ferre tui imperii iam didicere iugum;
et leve desiliens immurmurat unda lapillis,
  aut soli pandit lene morata sinum;
aspice ubi nebulae species tenuissima, qualem
  uni, Maie, tibi mittere posse datur,
nunc huc, nunc illuc montis latus omne pererrat
  nisibus ambiguis ambiguaque mora:
o formonsa dies, quae spem, quae dulcia suades
  somnia, paulisper qualis es esse velis:
effice, ne serto tibi flosculus excidat ullus,
  ne capiti addatur gemma vel una tuo;
non mediocre tibi placeat nihil; arte modesta,
  arte tua vires dissimulare iuvet:
effice ut invisam partem pars visa revelet,
  quantumst conspectum velle latere decus!

T. K. ARNOLD

327 *When fair Serena first I knew*

CUM primum Leonora fuit mihi cognita, amici
et ius et sanctum nomen amica dedit;
ac nova continuo circum undique gaudia fudit,
nostra iubens risu corda calere levi.
verum ubi subnatum steteram confessus amorem,
et multa urgebam mollia vota prece,
spem voce extinxit: per venas frigora ocellus
misit et intuitu conglaciatus eram.
sic iubar Italicas geniali calfacit igne
valles et late rura tepere facit;
sentit et optato fruitur fervore colonus,
ridetque in laetis prodiga messis agris:
scandere sin Alpis propiusque accedere caelo
ardua terrifica per iuga mole velis,
palliduli tremulo vix tangunt lumine soles
culmina, perpetua quae nive cana rigent.

S. BISHOP, A. S. 1766

328 *PIRATARVM INSVLA*

'LIBERA mens nobis, nullaque coercita lege
caerulei dominis qua patet usque sali:
spirat ubi ventus, spumant ubi gurgitis undae,
ius ibi praedonum est, haec spatiosa domus.
nos labor alternis, alternis otia poscunt,
vitaque non uno laeta tenore fluit:
quis nisi qui casus temptaverit ipse marinos
sortis, io, nostrae dicere laeta potest;
pectus ut exultet, gliscat furialis ut ardor,
pervehitur liquidum dum vaga puppis iter;
venturis ut quisque ultro praegestiat armis,
quaeque tremunt alii pulchra pericla petat?
nec, simul intereant hostes modo, fata timemus,
nec, nisi quod vitae desidis instar habet,

mors ingrata venit; florem si carpsimus aevi,
quid refert obitum morbus an arma parent?'
329 Vocibus haud aliis praedonum personat ora,
servat ubi vigilem festa corona focum:
verberat haud alius sonor aspera saxa, movetque
saxea corda viris ut melos esse putent:
per flavam sparsi ludunt, epulantur harenam;
verba serunt: enses telaque cote novant:
arma legunt alii; tribuunt sua cuique viritim,
immotique novo tincta cruore vident:
pars reficit navem, clavum remosque reponit;
litora palantes hi per amoena vacant,
pars avibus pedicas et retia ponere gaudet,
umidaque ad medium pandere lina iubar:
tum si forte procul speculentur ab aequore velum,
fortia quisque animo facta repente sitit:
nocturnos vario revocant sermone labores,
quaeque ipsos maneat mox nova praeda rogant.

H. A. H.

341 *SPONSA SVB PERSONA SPONSI*

SURGE, ait, his oculis multo mihi carior, omni
marmore candidior, dulcis amica, veni:
discessere nives tempestatesque sonorae,
cumque suis nimbis turbida fugit hiemps:
floret humus, resonat volucrum concentibus aër,
fundit et hic querulos turtur ubique modos;
induiturque novis iam ficus caerula baccis,
et fragrans tenero vinea flore viret:
surge, animae pars magna meae, pulcherrima rerum,
huc ades: inmensas cur trahis usque moras?
quae fuga? quas latebras sectaris more columbae?
da precor ore tuo, da mihi voce frui:
dulcius hac nihil est, nihil est formonsius illo,
sed neque par quicquam maximus orbis habet:

vitibus invisas cum fetu interfice vulpes,
dum tener est nobis palmes et uva recens.

ARTVRVS JONSTON, A. S. 1637

342 *ANNO INEVNTE SE TOTVM DEO DICAT*

DUM mea praeteritas mens errat ubique per horas,
cur tacito gemitu pectora maeror agit?
scilicet absumptos animus desiderat annos,
opprimat incautum ne cito summa dies:
a! nimium terram et terrestria semper amavi,
sollicitus frustra spe, nova quaeque colens;
et tempus male serpit iners neque rite litavi;
unde mihi spatium praebet inane metus:
at tu, sancte Pater, longe fera nubila curae,
ne fors desperem, pectore pulsa fuga:
gratia quippe tua est, prece quod tua numina adoro,
quod reliquum est praestet gratia dia mihi:
iam tibi reliquias vitae brevis ipse dicabo;
et, cum tu certa lege iubere voles,
ecce tibi fugientem animam flatumque resigno;
ad tua, sic oro, me rape templa, Deus.

J. G. L.

II

HEI mihi! cur, lapsum dum mente remetior aevum,
intus agit gemitu conscia corda dolor?
scilicet absumptos piget effluxisse tot annos,
incauto obrepat ne mihi summa dies;
rebus enim studui male sano corde caducis
inque hominum pronus gaudia fluxa fui:
iam sero sapiens volucris dispendia vitae
exsecror et vanos ac sine fruge dies.
Tu tamen erige me, vitae exorabilis Auctor,
neve metu penitus procubuisse sinas:
te sine non possunt edi mortalia vota,
edita tu solus sint rata vota facis:

quidquid erit deinceps aevi super, omne dicabo
  id tibi: tu studio iam mihi solus eris;
iusseris et quando vitalem cedere flatum,
  expedias facilem tu super astra viam.

H. A. H.

345 *PHILOMELAE ET PASTORIS CONCERTATIO*

PASTOREM audivit calamis Philomela canentem
  et voluit tenues ipsa referre modos:
ipsa retemptavit numeros, didicitque retemptans
  argutum fida reddere voce melos:
pastor inassuetus rivalem ferre misellam
  grandius ad carmen provocat urget avem;
tuque etiam in modulos surges, Philomela; sed impar
  viribus, heu! impar exanimisque cadis.
durum certamen, tristis victoria! cantum
  maluerit pastor non superasse tuum.

V. BOURNE, A. S. 1734

358 *IN CHLOEN ET EVPHELIAM*

MERCATOR vigiles oculos ut fallere possit
  nomine sub ficto trans mare mittit opes;
lene sonat liquidumque meis Euphelia chordis,
  sed solam exoptant te, mea vota, Chloe.
ad speculum ornabat nitidos Euphelia crines
  cum dixit: 'mea lux heus, cane, sume lyram!'
namque lyram iuxta positam cum carmine vidit,
  suave quidem carmen dulcisonamque lyram.
fila lyrae vocemque paro, suspiria surgunt,
  et miscent numeris murmura maesta meis:
dumque tuae memoro laudes, Euphelia, formae,
  tota anima interea pendet ab ore Chloes.
subrubet illa pudore et contrahit altera frontem,
  me torquet mea mens conscia, psallo, tremo:
atque Cupidinea dixit dea cincta corona,
  'heu! fallendi artem quam didicere parum?'

GVLIELMVS COWPER

360 *The stars are with the voyager*

ASTRA viatorem semper comitantur euntem,
libera per quasquas cymba vagetur aquas;
immemor haud unquam caelum sol certus inaurat,
luna rato callet tempore ferre vices;
seu tamen in pelagus, seu prata virentia terrae,
insequitur variam quoque sub axe viam;
sic amor, in quamquam verset vestigia terram,
certus amatori scit simul ire comes.
astra tamen, teneat tellus quaecunque vagantem,
quoque die, constat lex rata, luce carent:
luna per invisas orbem velabitur umbras,
occiduum solem nocte profunda tegent;
ut tamen ille cadat, fidus fulgore corusco
non minor absenti flamma micabit amor;
nempe illam noctem noctis non laeserit horror;
nempe die maior fulserit ille dies.

A. S.

366 *QVANTVM EST QVOD NESCIMVS*

PLURA capit mundus quam quae ratione sequamur,
ingenii superant plurima, crede, modum:
sunt causae quas arte brevi reperire negatur,
abditaque invisa fila regente manu.
imperfecta dies aliquando somnia reddit,
quale repercusso verba revecta sono:
ludere suspensas aures vaga murmura possunt,
visa modo oblitas commonuisse vices.
unde animum subeunt praesagia saepe malorum,
inque suos mens est ingeniosa metus?
insolito tactam sensu non frena morantur
consilii, causas nec datur arte sequi;
quidquid id est, nobis dum non licet intima rerum
perspicere et spissa condita nube latent;

quidquid id est, invisum illud miremur inertes,
confessi magicam non procul esse manum.

H. A. H.

67 *EPITAPHIVM VXORIS*

ACCIPE dilectam super omnia, terra, Mariam,
quam dederat nuper deripuitque Deus!
Bristoliae comitem ad fontes tristi omine duxi:
incubuit lymphis aegre obiitque diem.
si tua formonsae, si firma aetate puellae
commoveant animo tristia fata metus,
eloquere o, tu namque potes divinitus, ipso
eloquere e tumulo, cara Maria, tuis:
dic sint innocuae, clarae pietate pudore,
dic fidae et gratae sint similesque tui,
et, si te forma referant virtute decore,
si vel amicitia sint vel amore pares.
agnoscas durum esse mori, plenumque timoris,
vae, tibi erat durum fata suprema pati!
his actis, caeli pandit se gloria sanctis
et coram Omnipotens conspiciendus adest.

H. HALFORD

II

SUME datam nuper, sanctissima terra, maritam,
heu! nimium dura condicione meam:
quae, medicas cum iam per me defertur ad undas,
colla super vanam languida flectit aquam,
et periit—legitis pulcrae legitisne puellae?
notus ab hoc agitat funere corda timor?
eloquere, o, dium tumulo melos ede, Maria,
manibus ex ipsis vox tua suavis erit.
ut pariter castae, pariter sine crimine servent
omnia coniugii iura sacramque fidem,
sique ita formonsae, doceas ita ferre decorem—
parque tuae pietas fiat et aequus amor.

dic—licet horrendam timeat mens provida mortem,
(et tua vel timuit) cum tamen acta via est,
altius aeterni reseratur ianua caeli,
unde suum virtus possit adire Deum.

F. HODGSON

376 *I ne'er could any lustre see*

PHYLLIDIS effugiunt nos lumina: dulcia sunto:
pulchra licet, nobis haud ea pulchra micant.
nectar erat labiis, dum spes erat ista bibendi,
spes perit, isque simul, qui fuit ante, decor.
votis me Galatea petit; caret arte puella,
parque rosis tenero vernat in ore color:
sed nihil ista iuvant: forsan tamen ista iuvabunt,
si iaceant, victa mente, rubore genae:
pura manus mollisque fluit: neque credere possum;
ut sit vera fides, ista premenda mihi est:
nec bene credit amor, nam res est plena timoris,
conscia ni dextram dextera pressa premat:
ecce, movet pectus suspiria, pectora nostris
ista legenda oculis, si meus urat amor:
et nostri modo cura memor nostrique caloris
tangat eam, facere id non pudor ullus erit.

MARMADUKE LAWSON, A. S. 1814

380 *Out upon it I have loved*

HEI mihi! mene, malum, certas accendere flammas,
tres arsisse meum pectus amore dies:
quin per tres alios, modo laeta arriserit hora,
nescio an haec eadem sit domitura venus.
ante fatigatas certe vetus exuet alas
Tempus, oberrato quidquid in orbe patet,
quam reperire alium poterit, cui pectus amanti
tam constans teneat, tam diuturna fides.
iactantem tamen est quod habet male, pars quia laudis
non parta est meritis quantulacunque meis;

nulla etenim mecum mora detinuisset amorem,
visa meis oculis haec nisi sola foret:
haec nisi sola animum cepisset forma vagantem,
illius et vultus ipsius ipse decor:
iam per sexcentas issem multo ante puellas,
carior in spretae dum subit usque locum.

385 *AD MYRRHAM*

O SI pace fruar, tua si iam possit imago
cedere nec menti semper adesse meae!
sed natura simul vetat et tua, Myrrha, voluntas,
ne mihi contingant quae miser aequa rogo:
ipsa tuum nutans imitatur silva decorem,
et vultus perstat reddere lympha tuos:
et coniurato fraudes flos omnis in horto
instruit, atque oris spirat odore tui:
sic etiam gemitus, ubi lumina vespere condo,
adsimulat zephyri mobilis aura meos:
mox venit ad partes pernox philomela canoras,
voce tua pectus sollicitatque meum.
Una igitur contra si me luctante catena
omnia sic aurea vincta tenere vales:
unus quid potero? quin orbi foedere iungam
me toti et victas dem tibi, Myrrha, manus.

C. B. S.

390 *Let other bards of angels sing*

SIDEREAS alii, caelestia semina, nymphas
splendentes Phoebi purius orbe canant;
tu tamen haud tali, carissima, laude caneris;
est bene quod tanta dos tua dote minor;
ipsa etenim pariter si cunctis una placeres,
si tua laus vulgo iudice summa foret;
quid superesse putem, mea musa quod addere possit,
quid tibi iam tribuat quod socialis amor?

tu male censentis praeconia neglige vulgi,
neglige si formae laus tibi nulla datur:
dum nihil in toto mea mens cognoverit orbe
par tibi, nil melius, cetera parva putes:
forma etenim non est, quae vulgo cernitur: intus
inclusa in latebris pectoris illa latet;
nec retegit sese, donec iam mutua verset
concordes animas vis et ametur amans.

H. A. H.

392 *AD RIVVLVM*

ILLIMI qui prata lavas argenteus amne,
latex inoffensi pedis,
ecce tibi verni destillant caelitus imbres,
rores tibi aestas sufficit:
quumque tuas spoliant autumni frigora ripas
et germinum novissima,
continuo dat bruma suos bene prodiga fontes,
dum florifer Maius redit.
At vitae, tibi, rive, semel flos pullulat ora
nunquam renaturus tua:
at brevis una aestas caelesti munere roris
cursum meantis irrigat:
nam simul ac fontes qui te genuere serescunt,
venasque claudunt gemmeas;
qua pleno nuper pellucidus amne fluebas,
hic pulvis unus linquitur.

H. A. H.

393 *Nay say not so, nor cloud the sun*

PARCE, precor; tenerum obscurent neque talia pectus,
spes ubi Phoebeum spargit amica iubar,
cui datur infantem solari numine mentem,
et subolem terrae laetificare novam:
Ille, nec addubites, primae qui lampada vitae
nascentem cura servat alitque bona,

adversis idem rebus succurret et atrae
  idem tristitiae mite levamen erit.
Perge nec absistas risu, carissima rerum,
  cui natura suas prodiga praebet opes:
te fons laetitiae tenet aeternumque beabit
  in maius crescens viribus usque suis:
arripe laetitiae quidquid dabit hora fugacis,
  carpe age pubentem, quam spatiosa, diem;
carpe age: naturae sic fert materna voluntas;
  quis poterit tantae spernere iussa deae?

400 *O blest retirement, friend to life's decline*

O TRANQVILLA quies, languenti grata senectae,
  quam tamen omnipotens noluit esse meam;
felix cui licuit iuveni exercere labores
  vallibus his tutos, otia longa seni:
cui vitae illecebras, nulla virtute domandas,
  fallere in his umbris rite triumphus erat.
non iubet ille inopem penetrare in viscera terrae,
  nec ponti pro re dira pericla pati:
illius occlusas fractis morboque fameque
  non sedet auratus ianitor ante fores:
sancta placent sibi sola; Deus virtutis amico
  annuit, ad finem prospicit ille suum:
tandem adeo facili lapsu descendit avitum
  in tumulum, gressus sustinet alma fides;
cuncta senescenti rident, optataque caeli
  gaudia supremam percipit ante diem.

H. HALFORD

II

O DULCIS requies, pronae gratissima vitae,
  o fuga curarum, quam mihi fata negant!
felix cui placide recubanti hac sede, iuventae
  post opus exactum, consenuisse datur;

qui fugit illecebras hominum malesuadaque mundi
gaudia, quodque nequit ferre recusat onus:
non illi gens nata malis operique fodinam
rimatur, dubia nec secat alta rate;
nec rigidus custos fastuque ostroque superbus
mendicum foribus pauperiemque fugat;
dum mortem expectat placide, virtutis amantem
caelicolum servat, turba ministra, cohors;
fit tumulo propior maturi haud conscius aevi,
aequa difficilem mente levante viam,
et vel ad extremos sensim felicior annos
hic quoque caelicolum gaudia parte capit.

H. H.

405 *AD AVEM CAVEA LIBERATAM*

I NUNC, carpe fugas: ipsa abiit prius
crines aureola fulgida gloria;
tractus ex oculis cessit ad aetheris,
abreptaque caret domus.
Raptae vade comes libera non secus:
ardet pluma tibi, lumina fulgurant,
caeli purpurei tota vacat plaga, et
nostrae quid tibi naeniae?
Ipsi noster adhuc estne aliquid dolor?
num spectat lacrimis quot madeant sui?
num dormit, tenerum flore rubens caput,
an leni in zephyro natat?
Nescimus: procul hinc exiit: illius
passu iam choreae, voce carent modi,
risum festa dolent agmina perditum
desertique gemunt lares.

A. H.

408 *AD CELIAM*

AT mihi non aliis, mea Celia, iustior uni,
non aliis melior mens mihi, crede, subest;

ipse etenim, vulgo similis, mutarer in horas,
  ni mea iam requiem pectora nacta forent.
Sed tibi me certis compagibus alligat ipsi
  quidquid ego in tota volvere mente queo;
ora aveo solum tua, lux et vita, tueri,
  cor solum posco conciliare tuum.
quidquid adorandum miramur inesse puellis,
  hoc tibi dilectae novimus omne dari:
tantum etenim mentemque pias formamque venustas
  tota puellarum reddere turba potest.
Cur itaque ulterius veneres exquirere vellem?
  cur mihi ab integro conciliandus amor?
quando in amore vices nihil amplius addere possint,
  fit mihi res facilis non violare fidem.

S. L.

423 *AD AMOREM*

LUDIT Amor circum dominae mellita labella
  more apis: hinc roseus, non aliunde, color:
comminus aggredior, sed provolat ille vetatque;
  basia surripui, vulnere furta luo:
lumina legit enim tua dulce micantia sedem,
  qua cubet et somnos carpat apricus Amor;
suspicio; torvo puer ilicet ore minatur,
  siderea et gemino spicula ab orbe iacit:
subdolus igne faber subigit tua ferrea corda,
  versat et in lacrimis ficta reficta meis:
prolicio; cedit retro refugitque vocari:
  conqueror; heu! risum vana querella movet.
At miserere, puer; sine florea munera carpam,
  da modo mitescant ora superba meae:
deme supercilio nubem cordique rigorem,
  numen adorabo sic ego rite tuum:
ni facias, illam vel te nolente repulsae
  inscius obsequio demerearque fide.

H. A. H.

424 *IN OBITVM THYRSIDIS IMMATVRVM*

OMNIA iam squallent, ex quo dos ille decusque
ruris abest; iam vile nemus; iuga, flumina sordent;
omnis ager raptum viduus sibi luget ocellum,
heu! nimis immiti violatum funere florem;
inter enim flores flos formosissimus unus
Thyrsis erat; cui non deflendus multa sodali
Thyrsis, deliciae pastorum et gloria ruris?
At quae pestis atrox, scelerati vulneris auctor,
tam pulchrum ungue fero potuit decerpere florem?
intempestivum quis deformavit honorem
ante diem culmumque aevo vix pubere fregit?
care cinis, te maesta gemet sine fine iuventus,
ante alios longe maestissimus ipse dolebo.
Florea ruricolae iam serta retexite nymphae;
iamiam nulla ligent pastorum serta puellae
florea; sertorum flos occidit, occidit eheu!
in cineremque abiit: ferali quaeque cupresso
cingatur posthac et amara fronde sabuci.

H. A. H.

425 *TOLLE MORAS: SEMPER NOCVIT DIFFERRE PARATIS*

SPERNE moram: seros genuit mora saepe dolores;
carpe diem, tibi dum carpere posse datur;
vis minor in tardis animantibus: hoc age, sortem
tardorum vita, ne tibi damna ferat;
officium praestat primo quod tempore factum est;
dolia productus permeat ima labor.
Dum sequitur ventus, vento da vela secundo,
exspectant nullam ventus et unda ratem;
neu quod praeteriit temptes exquirere tempus,
otia nam prudens ducit, abesse moram:
sollicito constat pretio sapientia sera,
ducat consilium provida cura tuum.

Omnem in fronte comam praefert occasio: frontis,
hoc age, ne possit fallere, prende comam;
cum semel effugit, nunquam revocare valebis,
et calvum parte est posteriore caput;
dilato veniunt dispendia multa labore,
et cessata novas res parit usque moras.

434 *When from the cave thou risest with the day*

SIVE velis antro prima cum luce relicto
venatum celeres per nemus ire feras;
sponte mea opperiar rediturum laeta maritum,
muscoque et viridi limina fronde tegam:
utque frequens fixum vectabis arundine damam,
(certa autem, perhibent, mittere tela soles):
iamiam e vicina quaesito fomite silva
suscipiam flammas ipsa ministra dapis:
prompta, nec officii dicar nec parca laboris;
ultima me victum prata legente dabunt:
dona tibi apponam quae fert lectissima tellus,
et gelida e vivo pocula fonte feram:
fessus et optatum cum carpes nocte soporem,
iamque salutifera membra quiete iacent;
tum quoque fida adero custos precibusque lacessam,
sic tibi nocte velint invigilare, deos:
laetaque mane novo bene sit tibi necne rogabo,
candida sit nobis necne futura dies.

H. A. H.

437 *HYMNVS APOLLINIS*

SUNT radii mihi tela: meis perit icta sagittis
fraus mala, quae metuit noctis amica diem:
me manus admissi vitavit conscia meque
ultorem fugit mens quoque tacta dolo:
at proba mens, at pura manus nova robora sumit
me promente, dolet me retrahente iubar:

lucida me nubes, pluvius me vescitur arcus,
  florum a me varius, non aliunde, color:
lunaque et in aeternis penetralibus astra quot ardent,
  omnia collucent vi redimita mea.
siqua nitet terris aut caelo lampas in alto,
  pars micat imperii quantulacunque mei:
sumque oculus mundi quo se suaque omnia cernit,
  unde opus artificis se videt esse Dei:
me numerosa fides, me dii carminis auctor,
  me vates habuit, me medicina patrem:
unius estque mei laus ac victoria iuris;
  arte nec ingenio me sine posse nefas.

H. A. H.

438 *IN MENSEM SEPTEMBREM, A. S.* 1819

SERIOR en! aestas, tanquam nova, ridet amoenum,
  nescio quid verni cuncta coloris habent:
fronde super viridi, iamiam marcere parata,
  intendunt hilares saecla canora modos,
non quales tristi vix sola rubecula brumae
  vectigal tenuis pendere vocis amat;
undique clarisono fervent loca murmure vocum,
  dum liquidam gaudent concelebrare diem:
et mihi, cum viridem nôrim periisse iuventam,
  palleat et ramo frons inhonora super,
iucundae praebent avium solacia voces,
  ut rear aetatis ver rediisse meae.
Quid mihi cum roseis circum mea tempora vittis?
  cingite vos iuvenum, myrtea serta, caput.

H. A. H.

439 *NON OMNIS MORIAR*

SCINTILLA vitae caelitus editae,
  mortalis hospes corporis, o tuum
perrumpe vinctum carceremque
  linque novas aditura sedes,

pallens, tremiscens. O dolor et simul
mortis voluptas! a! precor, inritum
depone certamen parumper,
blanda Parens, trepidum novaeque
inmitte vitae. Quid mihi surripit
me? mors an haec sit? sidereis sonant
aures susurris et recedens
ex oculis tenuatur orbis.
Praebete pennas; auferor, auferor,
caelique magnum panditur atrium:
praebete: mox leto resurgam
pulchrior, et domitor sepulcri.

C. SARGENT

40 *ROS*

CERNIS ut Eoi descendat gemmula roris,
inque rosas roseo transfluat orta sinu:
sollicita flores stant ambitione supini,
et certant foliis pellicuisse suis:
illa tamen patriae lustrans fastigia sphaerae
negligit hospitii limina picta novi,
inque sui nitido conclusa voluminis orbe
exprimit aetherei, qua licet, orbis aquas.
En, ut odoratum spernat generosior ostrum,
vixque premat casto mollia strata pede;
suspicit at longis distantem obtutibus axem,
inde et languenti lumine pendet amans,
tristis et in liquidum mutata dolore dolorem
marcet, uti roseis lacrima fusa genis:
ut pavet et motum tremit inrequieta cubile
et, quoties zephyri fluctuat aura, fugit!
qualis inexpertam subeat formido puellam,
sicubi nocte redit incomitata domum,
sic et in horridulas agitatur gutta procellas,
dum pro virgineo cuncta pudore timet;

donec oberrantem radio clemente vaporet,
  inque iubar rèducem sol genitale trahat.
441 Talis, in humano si possit flore videri,
  exul ubi longas mens agit usque moras;
haec quoque natalis meditans convivia caeli,
  evertit calices purpureosque toros;
fontis stilla sacri, lucis scintilla perennis,
  non capitur Tyria veste, vapore Sabae;
tota sed in patrii secedens luminis arcem,
  colligit in gyros se sinuosa breves;
magnorumque sequens animo convexa deorum
  sidereum parvo fingit in orbe globum:
quam bene in aversae modulum contracta figurae
  oppositum mundo claudit ubique latus;
sed bibit in speculum radios ornata rotundum,
  et circumfuso splendet aperta die:
qua superos spectat rutilans, obscurior infra,
  cetera dedignans, ardet amore poli:
subsilit hinc agili poscens discedere motu,
  undique caelesti cincta soluta viae:
totaque in aëreos extenditur orbita cursus;
  hinc punctim carpens mobile stringet iter.
Haud aliter menses exundans manna beatis
  deserto iacuit stilla gelata solo;
stilla gelata solo, sed solibus hausta benignis,
  ad sua, qua cecidit, purior astra redit.

ANDREAS MARVELL, A. S. 1670

442 *LAODAMIA*

AURA favet, tacitumque secans mare fata revolvo;
  gloria volventi parta cruore placet:
'Dardanias,' inquam, 'princeps ego dicar ad oras
  (mille rates adsunt) applicuisse ratem:
et tinxisse meo, si dignior hostia desit,
  sanguine primus humum Troada dicar ego.'

saepe tamen, dum sic meditor, meminisse pigebat
  coniugis, amissus saepe redibat amor;
saepe tui iam cara nimis surgebat imago
  quosque egi tecum, Laodamia, dies:
necnoh Thessaliae subeunt loca nota laresque
  maeniaque hac nunquam perficienda manu.
tunc aliquis tardis insultans dicere visus;
  (dedecus hoc absit di! mihi ferre precor)
'frontibus en! illic fortis, non cordibus hostis;
  ferre volunt omnes praemia, nemo mori:'
dum feror infirmus, placuit constanter agendum,
  visaque laus acti pectora firma dedit.

J. Y. S.

14 *PISCATORVM CANTILENA*

RETIA tensa negant ullum submittere piscem,
  nox ruit obscuris imbribus acta polo:
nos decet, o socii, validis incumbere remis,
  namque reluctantes aestus in alta rapit:
expectans reduces nocturni ad luminis ignem
  uxor. alit posito fomite maesta focum;
parva ratis magnae Neptuni opponitur irae,
  et circum unda minis inrequieta fremit;
vesanique maris fragor improbus occupat aures,
  stridulus horrisonis occinit auster aquis:
nos tamen incassum prohibebitis, aestus et auster,
  incolumes dulcem mox adolere larem.
Sed durate viri; dux longi stella laboris
  en! procul e specula lumine signat aquas:
iamque propinquantes in litore cernimus udo
  huc illuc tremulas currere saepe faces:
nocte licebit adhuc tutis discrimina ponti
  vimque noti sumpto ludificare mero.

J. Y. S.

II

NON agitant capti fluitantia retia pisces,
ingruit a caelo nox: madet imbre polus:
fortiter et validis lentanda est palmula dextris,
haurit enim refluas aequoris aestus aquas.
multa dolent illae, quae ligna, reposta benigne
in nostros reditus, imposuere focis.
Parvula cymba quidem est: tempestas acrior instat;
nil resonat nisi vis adsilientis aquae,
atque indignatum magnis stridoribus aequor,
mixtaque raucisoni sibila dira noti:
sed frustra pelagi, frustra furit ira procellae,
nam patet ad nostros sic via laeta focos.
Una igitur, comites, incumbite: sideris instar
proiicit ex alto turris amica iubar:
cernite iamque viri, rapide iam cernite ferri
litora flammantem per propiora facem:
noctis, io, mediae cum venerit hora, bibemus
securi inriso pocula plena noto.

H. H.

III

RETE vibrans frustra nullo iam pisce movetur;
in pluvium glomerat nox tenebrosa polum;
nec mora, robustis hora est incumbere remis,
en! Tethys refluas in mare cogit aquas;
cur maerent sociae, nostros (pro corda tenella)
ad reditus quantae ligna reposta cremant?
exigua vehimur cymba: furit undique nimbus;
aures percutiunt verbera sola maris;
nil nisi Neptuni gemitus audimus amaros,
nil nisi vesani sibila maesta noti:
inrita quid fremitis, Tethysque notusque? licebit
ardentes iterum laetificare focos.

eia agite, o socii! iam celsae e culmine turris
stella redux latas pandit amica faces;
ecce iterum cursu quam festinata volucri
ora taeda flagrans in propiore micet;
ante fugam mediae, plena inter pocula, noctis
ludibrio nobis ventus et aequor erunt.

A. H.

.8 *Slow sinks more lovely ere his race be run*

PER Pelopea cadit pronus iuga, pulchrior axe
Hesperium tardo Sol ubi finit iter;
nec micat obscurum veluti borealibus oris,
vivida adhuc flagrat lux sine nube polo:
per mare pacatum spargit flaventia tela,
et tremulo glaucas lumine inaurat aquas.
Aeginae veteres scopulos Hydreaeque supremo
laetitiae risu vult tetigisse parens:
scilicet ipse sua gaudet regione morari,
ara licet nullo signet honore deum.
Nec mora; iam libat, Salamis invicta, recessus
descendens citius montibus umbra tuos:
purpura lenitos per inania temperat ignes,
caerulaque excipiunt culmina molle iubar:
dum teneri splendorem acti super alta colores
aetheriam produnt significantque viam:
donec obumbratus fugit terrasque fretumque,
partaque, qua condunt Delphica saxa, quies.

B. F. W.

II

SENSIM decurrit Pelopeia culmina Titan,
clarior in summas, quam fuit ante, vias:
non ferrugineo, boreae quo partibus, astro;
vivida quin facies et sine nube dei.
iniicit auricomum tacitae iubar Amphitritae,
fulgeat ut viridans unda tremente mari.

Aeginae scopulos et cinctam fluctibus Hydram
laetificus prono respicit ore deus;
incumbitque suis et amat dare lumina terris,
quamquam illic veteri numen honore caret:
iam tibi praeclaros, Salamis invicta, recessus
lambit ab Hesperio pensilis umbra iugo:
caeruleos arcus, sinuataque culmina longe,
purpureo pingit mite colore iubar:
molle rubent arces ex arcibus; aethere tincta
praevolat et festas indicat aura rotas:
ereptum donec pariter terraeque marique
occupat et dominum Delphicus abdit apex.

H. C. G. M.

454 *IN CVPIDINIS TVMVLVM*

CONDITUS hoc Amor est tumulo; rea femina leti
quae fuit, ipsa ultro debuit esse cinis;
torserat ille faces in pectus virginis: at non
pectoris acre potest igne fugare gelu:
mox iaculum metuens ne vibret inutile, corpus
temptat in ipse suum, quae sibi causa necis:
nil moror; inlacrimet siquis velit, ipse libenter
voce canam laetum carmen in exsequias;
inmerito mihi namque puer plus obfuit aequo,
unus praeteriti fons et origo mali!
has ego crediderim poenas ultricia fata
exigere aerumnae velle miserta meae:
ut tamen offenso fiam pacatior hoste
cui tenus hac servus iussa superba tuli,
proiiciam cinerem levibus portare procellis,
aut faciam inscriptus stet super ossa lapis;
Hic situs est Martis suboles furtiva Cupido;
ipse fuit demens qui sibi causa necis.

H. A. H.

55 *AMANTIVM IRAE*

Φεῦ τῆς πρὶν οὔσης φιλτάτης ὁμιλίας
ξυνοῦ τ' ἔρωτος, ἀλλ' ὅμως γλώσσης ὕπο
ψιθυρᾶς νοσεῖ τἀληθὲς ἠδικημένον,
πιστίς τ' ἄνωθεν ἕζεται θεῶν μέτα.
τὸ ζῆν μέν ἐστι τραχύ, χἠδονὴ νέων
εἴδωλον ἄλλως, ἀλλ' ὅταν φίλος φίλῳ
ἔλθῃ δι' ὀργῆς, πῶς τόδ' οὐ στροβεῖ φρένας
μανίασι λύσσαις; ταῦτά τοι, σάφ' εἰκάσαι,
κλεινῷ Ῥολάνδῳ καὶ Λεωλίνου βίᾳ
ξυνέβη γενέσθαι, κᾆτά πως ὀνείδεσιν
ὑψηγόροις τ' ἐδέννασ' ἄνδρ' ἀνὴρ λόγοις,
τὸ πλεῖστον αὐτῷ φίλτατον βάλλων κάρα.
οὕτως ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,
τὸ μήποτ' αὖθις μηδὲ συμβῆναι πάλιν.
τὸ δ' εἰσέπειτα τὸν δι' αἰῶνος χρόνον
οὐδέτερος αὐτῶν εὗρεν ὃς πλῆσαί ποτε
δύναιτ' ἀλίμενον καρδίας κενῆς πόθον.
οὐλὰς δ' ἔχοντες τραυμάτων δίχ' ἕστασαν
πέτραις ὅμοιοι πρὸς βίαν ἐσχισμέναις·
τἄνθενδε πέλαγος δύσχιμον στένει μέσον.
ἀλλ' οὔποτ' αὖθις οὐδ' ἄρ' ἥλιος φλογὶ,
οὐδ' αὖ πάχνη χειμῶνος, οὐ βροντήματα
οὐκ ἐξαλεῖψαι παντελῶς δυνήσεται
μνήμην παλαίαν τῶν πάροιθε συμβόλων.

E. T.

50 *She walks in beauty like the night*

QVA graditur, gressus it circumfusa decore,
siderei ceu nox et sine nube poli.
optima pars nigri, pars optima quaeque sereni
convenit in vultus luminibusque cubat.

inde creant lucem blande suffusa tenellam,
  qualem sole flagrans nescit habere dies.
Adde pusillum umbrae, radiorum deme vel unum:
  pars tibi subtilis magna leporis abit,
aemula quo corvi coma quaeque undante repletur,
  quive renidescit molliter ore super,
ore super, blando tranquilli interprete sensus,
  quippe adeo pura est huic et amata domus.
Inque genis istaque super facundia mollis
  fronte sedet, suadae plena, quieta licet:
risus blanditiis instincti, luce rubores
  significant actos cum pietate dies;
significant cunctis caeli sub tegmine amicum
  pectus, et innocuo cor quod amore calet.

H. A. J. M.

II

ILLA venit spectanda, ut nox spectanda vagatur,
  hac ubi sidereo purior aethra polo:
quidquid enim nigri praestabile, quidquid in astris,
  hoc oculis, fronti scilicet illud adest;
sic tamen, ut nitidae quem Iupiter invidet horae
  mitiget hoc lenis, mitiget illud honos.
Vix ea concinne referat, quaecunque, venustas
  plus minimo noctis Pleiadumve minus,
sive per undantes volvit se nigra capillos,
  seu sublustre trahit mollis in ora iubar;
ora, videtur ubi clementis gratia vultus
  quam pia mens intus, quam sit amanda loqui.
Quanta genas mulcet placidaeque silentia frontis,
  quos eadem sensus testificata quies!
nec tamen indicio est nisi sanctis artibus usae
  blandave simplicitas purpureumve decus:
est animi indicio cunctis mortalibus aequi,
  quique nota digno nolit amore capi.

R. C. J.

54 *The damaske meddowes and the crawlinge streames*

PURPURA camporum et serpentia flumina donent
blanditiis somnos deliciisque tuos;
umbra tibi bene texta et aves lymphaeque loquaces
et nemora et pictus floribus adsit ager;
haec tibi dent formas; dum ficta recludat imago
lilia puniceis plurima mista rosis:
quin audi in somno ut crebris balatibus agnum
ubera pressurum lactea captet ovis;
faunus et in viso tibi polliceatur eodem
lanigera rabidos pellere gente lupos;
mille alia illecebras iungant tibi somnia, iunctis
fit queis grata magis sed minus alta quies;
hae species nec cara tibi nimis otia reddant,
gallus ubi noctis tempora summa canit;
tum surgente die surge, et tua pensa resumas,
at superis primum debita sacra refer;
ob culpam aversos properans mollire recentem
farre pio mica cum saliente deos.

S. L.

56 *SOLIS REGIO*

NOTANE quae myrtoque ferax eademque cupresso
hinc populi tellus exprimit acta sui:
qua scelus alternat trucis instar vulturis ira,
alternat gemitus turturis instar amor;
notane quae cedro floret dulcique lyaeo,
flos ubi perpetuus perpetuumque iubar:
mollis ubi zephyrus, dum suavia pervolat horti,
languescit nimio victus odore rosae:
gloria pomiferae qua citrus olivaque silvae,
Atthis et aeternum gutture vernat avis;
qua caelo et terrae varius color, una venustas,
undaque purpureis subrubet ima vadis:

qua tenera est faciesque rosae faciesque puellae,
  et, nisi mens hominum, cetera plena deo?
Eoa est regio, plaga dilectissima Soli:
  prolis an arridens despicit acta suae?
Scilicet, ut voces ubi divelluntur amantum,
  effera sic numero verbaque mensque carent.

H. A. H.

471 *Tell me, my heart, fond slave of hopeless love*

DIC mihi mens, vacuo quae dudum incumbis amori,
  quae Veneris solam noscis amaritiem,
dilectaene potes speciem dimittere nymphae,
  immemor atque animae protinus esse tuae?
sede sua potes Idalium detrudere numen,
  regnet ut in vetito limine diva minor?
durum opus, invalidaque nimis ratione timendum,
  spes quod amatorem nil nisi mersa monet.
Aetheriane oculi poterunt se avellere forma,
  cui tremulo toties instupuere metu?
suaviloquam poterunt aures non quaerere vocem,
  quae furias acuit visa levare meas?
O quotquot tenero citharas aptastis amori,
  quique feris querulam, culte Petrarca, lyram;
vos quanquam spretae laesere opprobria musae,
  teque immaturo dedita Laura rogo,
me dolor invasit maior: concedere fatis
  est leve—rivalem sic quoque fallit amor—
sed caram alterius pendentem ex ore puellam
  qui videt, hic flammas despicit, orce, tuas.

F. HODGSON, A. S. 1809

472 *Oh, be thou blest with all that heaven can send*

SINT maneantque tibi quotquot Deus addere possit,
  vita, salus, studium dulce, nec absit amor:

ne tamen optentur queis plurima femina gaudet,
  nugarum pondus, sarcina tristis opum,
nam si vita novi nil fert, crescentibus annis,
  sed velut in cribro quaeque perire sinit,
si fluit usque bonum quoties dilabitur aetas,
  quodque lucro ponas, nil nisi cura redit,
natalem celebrare putas? heu inscia veri!
  immo anni potius iusta prioris agis.
Gaudia vel requies, res ampla vel apta fruenti,
  et mens praeteriti quam meminisse iuvat,
haec tibi tranquillent sensus: hinc gratia crescat,
  hinc animi caleant praeniteantque genae:
dumque diemque dies annumque supervenit annus,
  nulla ferant luctum tempora, nulla metum:
denique mors artus solvat sine fraude tenellos,
  dum peregre mentem somnus agitve calor:
otia tum carpas taciti sacrata sepulcri:
  mox vocet in seclum laetius orta dies.

J. C.

79 *DESIDIS OTIA VITAE*

HAUD procul a fluvii ripis in valle reducta,
  qua iuga frondosis imminuere iugis,
degebat magica quo non sceleratior arte
  nec gravior toto pestis in orbe fuit:
iucundus locus ille fuit; nec dicere posses
  Iunius an vernos Maius haberet agros:
illic vere novo certabat serior aestas,
  temperies caeli desidiosa fuit:
otia regnabant: durum tolerare laborem
  quis potuit, ludus cui fuit ipse labor?
Nil non dulce fuit, nil non requietis imago;
  utilis ad somnos silva, quietus ager:
lene soporiferos circum spirabat odores,
  vestiit et laetam flore papaver humum:

nec virides tacito perlabens tramite lectos
delituit serpens desidiosus humo.
Plurimus interea trepidanti rivulus unda
hic illic vitreas praecipitabat aquas:
dumque per apricam properat pellucidus umbram,
murmurat ignavo mobilis ipse sono:
480 lene susurranti pecoris vox consona rivo
mugitus late laeta per arva dedit:
balantesque procul longinquo a culmine montis
mulsit arundineo carmine pastor oves:
blandior interdum suaves philomela querellas
funderet aut liquidum turtur ab ore melos:
dum silva ignavo strepitu ad suspiria venti
ipsa tamen vento vix agitata tremit:
nec canere arguta cessavit voce cicada
commixto somnos alliciente sono:
valle super media nigris horrenda latebris
pendebat densis silva profunda comis:
qua visae tenues umbrae formaeque moveri—
desidiae tantum somnia—inane nihil:
nigrantes semper nutanti vertice pinus
texerunt gemini montis utrumque latus:
inde soporatus gelida formidine sanguis
substitit et pigri corporis horror erat:
quaque fuit vallis sinuosae terminus infra,
murmura longinqui vix sonuere freti.

481 *MORTIS HORA*

SUB Borea certo marcescunt tempore flores,
amittit certo tempore silva comas:
temporibus certis conduntur sidera: sed tu,
omnia, mors atrox, tempora sola tenes.
Apta dies curis mortalibus, apta susurris
laetis ad laetum vesperis hora focum;

apta precum blandis nox vocibus, apta sopori;
nulla sed ex illis non erit apta tibi.
Interdum calidae convivia grata iuventae
laetitiam vino carminibusque fovent:
interdum maeror sibi vindicat omnia: molli
fit lacrimae interdum tempus: at usque tibi.
Si coma prima rosae, iuvenum si forma videtur
splendidior quam cui possit abire decus,
si te despiciunt—non mos tuus ille morandi
dum maturato victima flore cadat.

81*b** Novimus incurvum cum Cynthia contrahat orbem,
advena ut aestivas transvolet ales aquas:
tempore quo flavas autumnus tingat aristas,
nosse sed adventum qua licet arte tuum?
Anne venis verna Zephyrus quum proditor aura
secessu violae quo latuere docet?
anne ubi sub pedibus rosa palluit? hora cadendi est
una rosae: nobis sed vacat usque mori.
mors est qua cani spumant super aequora fluctus,
est etiam liquidum qua vehit aura melos:
est placidos colimus siquando pace penates;
prodimus; media mors venit atra via.
Quin adstas, reducem si visit amicus amicum
otia qua ramis ulmus inire monet:
aut siquando hosti coit hostis et aethera quassat
bucina, regales ense metente iubas.
Sub Borea certo marcescunt tempore flores,
amittit certo tempore silva comas:
temporibus certis conduntur sidera: sed tu
omnia, mors atrox, tempora sola tenes.

C. B. S.

* Vide Appendicem B ad calcem libri

484 *AD ROSAM*

I, ROSA, dic illi quae me frustratur amantem,
quae sint e vicibus percipienda tuis;
quam quoties tecum compono, flore puellam,
discat quam forma sit speciosa velim:
dic age, iam tenerae nimioque pudore latenti,
quae decus ex oculis invidiosa tegat;
'Quam iuga sola rosam nulli genuere videndam,
laudis egens solis est moritura iugis.'
Dic age, virtutem latebris sordescere tectam,
quaeque latent, illis praemia nulla dari:
prodeat in lucem virgo, dignetur amari,
neu pudeat laudes sic meruisse meas:
tum morere, ut, vigeant pulcherrima quotquot in orbe,
parte quota utantur temporis illa legat.

J. Y. S.

II

VADE, rosa, et nympham, quae me consumit amantem,
inque suo perdit quod nitet ore decus,
fac discat, par ipsa tibi quum dicitur esse,
ut sit luminibus conspicienda meis:
tum juveni, proprios nitidae quae frontis honores
respicit ac merita laude carere cupit;
dic, si te quaedam genuisset inhospita tellus,
debueras caecae succubuisse neci:
Paulum res celata placet; dic prodeat ultro
neu rubeat cupidis cur sit amata viris;
tum morere, ut cernat, quum te marcere videbit,
quam cito, conspicuum est quidquid in orbe, perit.

J. F. L.

485 *HELENES EPITHALAMIVM*

UT micat orta dies aurorae lumine puro
post tenebras, ut ver tepidum post frigora brumae,

aurea non aliter nos inter Tyndaris extat,
pinguior et maior. Seges in flaventibus arvis,
Thessalus in curru sonipes, cupressus in hortis,
Tyndaris in tota Lacedaemone pulcra renides;
nulla potest qualo tantos variare labores;
nulla puellarum radio subtemina ducit
doctior ordiri stantes tibicine telas:
nulla fidis pulsu melius Latoida cantat,
pectoris aut multa mirandam mole Minervam,
quam tua quae cunctos oculis includit amores.
Dulcis at o virgo, tu iam matrona vocaris:
nos, ubi mane novum, procul in viridantia prata
ibimus et carpemus olentes suave corollas;
nos nascentis humi, nos primae, vincula loti
nexa tibi gelida platani ponemus in umbra:
unde legi possint, tua cortex scriptus habebit
nomina: ME VENERARE, HELENAE SUM NOBILIS ARBOR.

H. GROTIVS

486 *And must sad Eva lose her lord?*

AUFERET ergo tuum sors durior, Eva, Menandrum?
ergo tibi longo marte carendus abit?
ecce ensem galeamque aptat nova nupta marito,
et queritur maestis sic sua fata modis:
'Felix illa quidem, felici sidere nata,
rustica quae parvo sub lare tecta colit!
anxia non illam spes mixta doloribus angit;
sollicitat nullus concita corda pavor;
at secura latet magnorum ignara laborum,
pectora nec curam, quae mea torquet, habent:
gloria non illi crudeli lege revinctum
coniugis e gremio cogit in arma virum;
anxietate carens lustrat loca nota, diesque
consumit gratos inter utramque facem:

carmine seu certat sponso, seu laeta laborum
capros aut collis per iuga pascit oves:
utque parum tenera consurgit culcita pluma,
omnis abest humili cura metusque toro:
scilicet illa cubans noctu spe clausit ocellos,
nec somno est funus vaticinata viri.'

J. Y. S.

488 *AD ISIN FLVVIVM*

FLORIBUS implicitas quoties, loca sacra Camenis,
intueor ripas, Isis amoene, tuas:
hei mihi! cura animum premit importuna, quod istis
mox abeo o! utinam mox rediturus aquis!
mox abeo—sed lympha, ubi visa tremiscere supter
pendula de viridi litore glauca salix,
ipsa pedes aegri desideret hospitis olim,
remigis et solitos captet imago sonos.
morte iacebit amans—sed nusquam desit amicus,
dat vespertinos cum philomela modos,
qui viduam capiat fruticeta per ista querellam,
cui placita adveniat nuntia veris avis:
vos nitidi soles innubilaque aethra valete,
et nemora et tenero gramine mollis ager,
este aliis amor olim oculis—mihi quippe fuistis—
seu procul hinc absim seu tegat ossa solum.
Quid moror haec reputans? age, tristis imago, facesse;
desine me vanis illaqueare dolis:
nempe perit quo non fuerat mihi carius usquam;
quum tibi dicendum est, Isis amoene, Vale!

H. A. H.

490 *Sweet to the morning traveller*

DULCE viatori pennas lita rore coruscas
ante Iovis portas carmen alauda refert:
dulcis et exhaustum circumvolat aura Favoni,
pulvere ut in medio languida membra trahit:

sicubi sol aestu nimium vicinus adurit,
murmur ibi mulcet lene cadentis aquae:
nec minus ut late noctu impendente siletur,
aure ovium sonitus arripuisse iuvat:
dulcis at ante alias quot vespera, mane quot adfert,
coniugis excipiet vox adamata suae.

J. Y. S.

493 *AD HESPERVM*

Ἑσπέρας εὖχος μέγα πορφυραυγοῦς,
ἁμέρας συνάορε καδδυούσης,
τίπτε δὴ μέλλεις, τριπόθατ', ἐπ' οὐδῷ
αἰθέρος, ἀστήρ;
ἠνίδ' ὡς φλέγεις φάος ἐκκρεμάνθεν,
ὅππότ' ἔρση δακρύοεν καταρρῇ,
ἠνίδ' ὡς πιστὸς ῥοδόεντ' ἐραστὴς
ἤθεα νίσσει·
ὦ φιλόφρον καὶ φιλογαθὲς ἀστὴρ,
ἁσύχῳ γάρ τοι φιλότητι χαίρεις,
ἦ ῥα συμμέτρως ἅμα σοι γέγαθ' ἑ-
λίσσεμεν αὐγὴν
ὑψόθεν τις ἄλλος· ἄναγνα δ' αἴγλας
σᾶς ὕπαι νοήματα φροῦδ' ἀπορρεῖ,
ὡς πόθου θελξίφρονος ἐκδιώκει
μείλιχα φίλτρα.
ἀστέρων ἄωτε φίλων, φάνηθι
ἵλεως, δείλης ἱερὸν μέλημα,
ἣν παρῇ δ' αὐτὴ Γλυκερὰ, τάχ' ἐνθὼν
στίλβε τὺ μακρόν.

H. A. H.

498 *AD RIVVLVM*

RIVULE, vicinae quis amor tibi vallis amoena
linquere? praecipitem, rivule, siste fugam:

cur cupis in latum spatiari vespere pontum,
  quem fontem exiguum viderit orta dies?
natus es eoa cum luce, nec altera vena,
  te silice e gelida quae minor iret, erat:
nec tibi flos visus caput inclinare, nec ulla
  furtivam laticis prodidit herba fugam:
et nunc amne videt prono te luna, venusti
  quidquid habent fontes, subripuisse tuo:
pellucere videt tibi limpida quaeque, tibique
  ire, fuga quisquis praepete rivus eat:
quo properas, insane? mane: cur fata fluenti,
  cur pars inmensi vis maris esse? mane:
crescis, ut in vastum citius rapiare sepulchrum,
  usque novas vires fonte ferente novo:
at satius poteras viridi in convalle morari,
  et bibulos flores pascere rore tuo;
et placido tandem defungi rivulus aevo,
  quam fluvii titulo deficere ante diem.

H. A. H.

499 *The night it was still and the moon it shone*

UNDA repercussae radiabat imagine lunae,
  nec vox per noctem quantulacunque fuit,
saxeaque allisi fluctus ad littora blando
  nescio quid visi murmure dulce queri:
huc illuc rapido pede Laodamia vagata est
  devia per suavem suavior ipsa locum:
at gena, nam saevo flos est demissus amori,
  mutarat pura lilia cana rosa:
roscida caeruleo stat gutta tacentis ocello,
  scilicet est miseras vaticinata vices:
saepe aliquis moriens somni est sub imagine visus
  plangere: qui periit Protesilaus erat:
iverat innumero stipatus milite princeps,
  fortibus intererat fortior ille puer:

ille quidem excidiis quaerens sacra moenia Troiae
contulit infesto cum Phryge signa manus:
plurima sed totum nova luna impleverat orbem
et gyros annus versus in ipse suos:
et neque vir sacra rediens nec epistola Troia
nuntia quo fato militet ille venit.

H. I. S. M.

102 *SILVIAE SPECTRVM*

LUNA renascentem caelo patefecerat ortum,
sollicitum fugit rupta cubile quies:
torpuit improvisum acies mirata nitorem,
stabat ubi ad vigilem Silvia clara torum:
discolor heu! multum, multum mutata puella,
quae modo tam facili texuit arte choros—
illa tamen virgo vix natae in luce diei
dormiit herbifero quae tumulata rogo:
nec fax caeruleis adsueta refulsit ocellis,
nec Cypriae vultus praenituere rosae:
nec leviter tumido iaculata est pectore amorem,
lusit at aetherii risus, ut ante, labri:
non ea caesaries nivea cervice refusa,
non ea mellitos vox modulata sonos:
non ea, quae decori potuit decus addere, vestis;
omnia ferali succubuere togae.
sed tamen aetherii veneres risere labelli,
caraque conspicuae signa fuere notae:
a! pereat, quisquis malefido corde decorem
quemlibet extinctae nescit amator herae.

F. HODGSON, A. S. 1809

18 *AD ZEPHYRVM*

CUR ita luctisonos reddis, levis aura, susurros?
nonne tibi flores inter amoena domus?

aestivae tibi nonne rosae nova germina trudunt,
germina complexus mane aditura tuos?
extentis tibi regna patent en splendida campis!
en tibi pubenti prata superba solo!
en tibi ventosi colles, quos nubila laeto
alba supervolitant praetereuntque choro!
amplus ibi pleno delabens gurgite rivus,
fonsque salutiferas ejaculatus aquas.
languida ne nimio solis lasseris ab aestu,
sufficiunt medio frigora grata die:
salve! laetitiae, salve! levis aura iuventae,
diva venusta, anni praeses amica novi!
te veniente polo flectit sol clarior axem,
conscius et nitidam gaudet inire viam.
A! nimis humanae praestas imitamina gentis!
quum non umbra manet quantulacunque mali,
quae terrae caelique hebetet caligine risum,
tu quoque das gemitu tristitiaeque locum.

520 *DANAE CVM INFANTVLO MARI IACTATA*

NOCTE sub obscura, verrentibus aequora ventis,
quum brevis immensa cymba nataret aqua,
multa gemens Danae subiecit brachia nato,
et tenerae lacrimis immaduere genae:
'tu tamen ut dulci,' dixit, 'pulcherrime, somno
obrutus et metuens tristia nulla iaces!
quamvis heu quales cunas tibi concutit unda,
praebet et incertam pallida luna facem,
et vehemens flavos everberat aura capillos,
et prope subsultans irrigat ora liquor:
nate, meam sentis vocem? nil cernis et audis,
teque premunt placidi vincula blanda dei;
nec mihi purpureis effundis blaesa labellis
murmura nec notos confugis usque sinus.

Care, quiesce, puer, saevique quiescite fluctus,
et mea qui pulsas corda, quiesce dolor:
cresce, puer: matris leni atque ulciscere luctus,
tuque tuos saltem protege, summe Tonans.

J. JORTIN, A. S. 1720

II

VENTUS cum fremeret superque cymbam
horrentis furor immineret undae,
non siccis Danae genis puellum
circumfusa suum; 'Miselle,' dixit,
'o quae sustineo! sopore dulci
dum tu solveris, insciaque dormis
securus requie; neque has per undas
illaetabile luce sub maligna
formidas iter, impetumque fluctus
supra caesariem tuam profusam
nil curas salientis, ipse molli
porrectus tunica, venustus infans;
nec venti fremitum. Sed, o miselle,
si mecum poteras dolere, saltem
iunxisses lacrimas meis querellis.
dormi, care puer, gravesque fluctus,
dormite! O utinam mei dolores
dormirent simul! . . . O Pater Deorum,
cassum hoc consilium sit et quod ultra
(forte audacius) oro, tu parentis
ultorem puerum, supreme, serves.

ROBERTVS SMITH

548 *VERIS DESCRIPTIO*

POSTQVAM bruma polo tandem ventosa recessit,
florida purpurei rident iam tempora veris,
pullaque vernanti tellus inducitur herba:
iamque comas reparant plantae, nova frondibus arbor

luxuriat, campisque redit silvisque iuventus:
iam matutinum vario gemmantia flore
prata bibunt tenerum rorem, calicesque rosarum
dum sese lento pandunt conamine rident.
fistula pastorem delectat, montibus altis
dum canos haedos salientes spectat et agnos:
spectanti tacitum pertemptant gaudia pectus.
Iam tumidum mare nauta secat, dum carbasa complent
innocuae zephyrorum animae; crinesque revincti
flore hederae, laeti adsuescunt agitare choreas,
euhoe vitifero clamantes undique Baccho.
taurigenis studium est apibus sua cerea mella
fingere, multiforisque eadem densare coacta
alveolis: mireris opus stupeasque laborem.
aera concentu mulcet genus omne volucrum;
in fluctu alcedo, tectorum ad culmina hirundo,
fluminis ad ripas cycnus, philomelaque luco.
cum tellus igitur, cumque omnis floreat arbos,
cum pastor pecoris cantu demulceat aures,
cum mare nauta secet, cum ducas, Bacche, choreas,
parturiant et apes, volucres cum dulce querantur,
quidni vere ipsum deceat cantare poetam?

CONRADVS RITTERSHVSIVS

557 *ALTERNIS OMNIA FIVNT*

FLORIBUS et fructu modo nuda repullulat herba,
arboribus caesis flore redibit honos:
cuivis est homini lenimen habere dolorum,
aridior quaevis imbre madescet humus;
alternis nam tempora eunt, certoque tenore
fata suas variant nigraque et alba vices.
Fortunae instabilis semper non aestuat unda,
interdum refluas illa resorbet aquas;
sunt certi cursus illi certique recursus,
et tenue et crassum pectine texit opus:

ad metam properat quamvis pretiosa voluptas,
  quantumvis duri fit medicina mali:
vere fugatur hiemps neque ver durabile semper,
  nec semper tenebrae nec sine fine dies:
est ubi dulce canit tristissima quaeque volucrum,
  quamlibet implacidi mox cadet ira maris;
ne nimium iaceat nimiumque superbiat, aequus
  sic homini alternis temperat omne Deus:
rete capit parvos, magnis quod inutile, pisces;
  quod casu periit, sors reparare potest;
omnibus ut quaedam cedant male, at omnia nulli:
  quantum opus est pauci, nemo quod optat habet:
gaudia contingunt nulli sine felle fruenda;
  deest aliquid semper plurima siquis habet.

H. A. H.

II *IN IMAGINEM MATRIS DONO ACCEPTAM*

O SI labra loqui possent ea! gaudia vitae
  et tua vox eheu disperiere simul.
sunt tua, sunt eadem: videor mihi cernere risum,
  qui toties puero dulce levamen erat:
vox licet his desit, clare sine voce loquuntur,
  'pone metum: fletus desine, care puer.'
Mitis adhuc isto sapientia vivit ocello
  meque super risu fulget, ut ante, suo:
floreat ars, per quam mortali morte carere
  temporis et damnum spernere posse datur.
O mihi tam carae monumenta fidelia formae,
  hospes grata oculis, quanquam inopina, meis;
quae dudum amissam me deplorare parentem
  et rudibus numeris concelebrare iubes:
ipse volens, immo vel laetus, munere fungar,
  tanquam ipsa nostros matre iubente modos:
dumque pios revocat facies dilecta dolores,
  phantasiae medicam vis mihi texet opem.

ut velut Elysias ego deferar hospes in oras
teque mihi vere, mater, adesse rear.

H. H.

562 FARE age, dum flebam nuper te, mater, ademptam
anne mei luctus conscia testis eras?
mutane plorantem circumvolitavit imago,
qui miser hanc vitam virque puerque traho?
forsitan ignaro fixisti basia nato,
et si caelicolis illacrimare datur,
forsitan et lacrimas fundebas: annuit ecce,
arridet solitum matris ab ore decus:
vidimus heu! tarda duci tua funera pompa,
vidimus exstructi munera maesta rogi;
vidimus, aversaque relinquens fronte fenestram
ingemui, mater, verba suprema, vale;
quippe suprema ferens; neque enim per regna silentum
illud crediderim manibus esse vale:
o mihi si tacito complecti in litore, mater,
te liceat, valeat vox ea dura, vale.
saepe reversuram famulae dixere parentem,
quippe mei luctus his quoque cura fuit;
spemque reversurae puerile cor usque fovebat,
in votumque fui credulus ipse meum:
maerenti sic multa dies oriturque caditque,
dum puerum tandem deficit ipse dolor:
et fato didici succumbere, nec tamen unquam
cura minor fletu deficiente fuit.

J. Y. S.

563 TU, velut a terra puppis generosa Britanna,
usque per aequoreas velificata minas,
tuta tenet portum et plenis subit ostia velis,
mollior in medio qua tepet aura mari:
atque ibi lympharum speculo tranquilla recumbit
et formae speciem despicit ipsa suae:

interea zephyrus circumstrepit uber odoris,
  ventilat et penna lintea picta levi:
ipsa nimis celeri tetigisti litora velo,
  qua neque saevit hiemps rauca nec unda gemit:
et lateri adsistit portuque recumbit eodem
  emenso vitae vir tuus ante mari:
me vero vix ausum istam sperare quietem
  distinet optato crebra procella sinu;
pronus agor laceris velis, rimisque fatisco;
  quin et acus periit fida ministra viae:
inque dies cursu reflui me gurgitis aestus
  excutit, erroris nec sinit esse modum.
sed levat aerumnam te sospite, sospite et illo,
  vestra salus, quasquas dent mihi fata vices.

H. A. H.

65 *CONCORDES ANIMAE*

NEC satis et sero mihi cognite, quemque parabam
  ducere iam nostrum, iam perhibere, vale:
affines animae certe, atque exemplar ad unum
  ficta tuast, musis debita, ficta meast.
pectine communi lyra tacta ambobus, idemque
  sontis utrique odiumst, insipientis idem.
meta eadem studiis amborum est fixa; sed alter
  serior est missus carcere, calce prior:
sic postquam cecidit Nisus per lubrica, cursu
  confecto iuvenis victor amicus erat.
ingenium praecox! tibi copia tanta, quid aetas
  addere plus poterat progrediente fuga?
levorem patriae poteras addiscere linguae
  (natura hunc iuveni sponte venire vetat);
nec tamen hoc opus est satirae, praeclaraque semper
  e male tornato carmine vena nitet.
nobile peccatum raroque imitabilis error!
  viribus en vates proditur ipse suis!

ante diem egregii fructus cecidere; sed isdem
  contigerat velox iam sapor ante diem.
maturat, numeris iungens, quod scribimus aetas:
  dulcior est sucus, vis tamen ipsa perit.
rursus have rursumque vale: Marcelle Britanni
  floride sermonis, tam cito rapte! vale:
en hedera et laurus iuvenilia tempora cingunt;
  parca sed et circum nox volat atra caput.

H. A. J. M.

567 *IN AMICITIAM*

IACTAT amicitiam quisquis generosus, et ardet:
  nil venit a caelo maius amicitia.
hanc dedit ut soli capiant hominesque deique
  Iuppiter; at rabidis non sinit esse feris.
ordinibus superis amor exsulat: atra libido
  hunc habet auctorem, multaque forma mali:
hic mentes hominum pariter, pariterque ferarum
  opprimit, admota sollicitatque face:
non ulli parcit; sua fulmina mittit in omnes
  splendidus, at nimium perniciosus amor:
tu, dea, tu solis illuces lenior illis
  quis praeter solitum faverit ipse Pater.
innocuas tu delicias, motusque quietos,
  noverit incestus desipiensve vetas.
rex te purpureus frustra suspirat: amicum
  quaerit; adulatrix dextera lambit herum.
quae sanctos fortesque regis, nos excipe curam:
  nos hilara, caecae duxque comesque viae:
ne, dea, sit nostrum diffidere: qui miser ipsi
  consulat, alterius sentiat ille metum.
nec tu non superis in sedibus arseris olim:
  (olim erit in superis sedibus esse viros;)
auspice te virtus hic creverat; auspice eadem
  crescent in placido gaudia nostra polo.

H. C. G. M.

70 *IN CVPIDINEM MENDICANTEM*

TEMPUS erat quo blanda quies mortalibus aegris
incubat et mulcet pectora fessa sopor,
frigida quum tardi vertuntur plaustra Bootae,
et bigas medio nox agit atra polo.
constitit ante fores atque ostia clausa Cupido,
impulit audaci terque quaterque manu:
'Quis placidos,' clamo, 'pergit mihi rumpere somnos?'
'ne metuas, aperi, sum puer,' inquit, 'Amor:
pande fores: erro per opaca silentia noctis,
verberat et laesas nixque notusque genas.'
Quem non illa dei potuissent verba movere?
excutio accensa lampade poste seram:
adspicio puerum pharetramque arcusque gerentem;
concussa aligeris tela sonant humeris:
frigore pallentem miseror totumque rigentem,
et statuo medium sedulus ante focum:
officiosa manus refovet digitosque sinusque,
et multo madidas exprimit imbre comas.
Ille tremor postquam candentia membra reliquit,
et rediit tenerae visque calorque manu,
'Experiamur,' ait, 'chordam an mihi laeserit imber,
utilis an tractum possit, ut ante, sequi.'
Protinus adducto coierunt cornua nervo,
perque meum pectus pulsa sagitta venit:
exsiliit, plausitque manus crudele renidens,
laetaque dimovit talibus ora sonis;
'Gaude mecum, hospes: salvi mihi nervus et arcus;
hoc te, ni fallor, saucia corda docent.'

J. JORTIN

75 *LODONA*

CLARIOR ante alias proles Thamesina puellas
silvestrem coluit nympha Lodona locum:

fata per immemores annos oblita Lodonae
musa refer: musam non premet ulla dies.
Ipsa deae similis: discrimina sola Dianae
lunaque crinalis zonaque picta dabat:
non illi venerum, non spreti cura decoris,
vitta comas, religant cingula lenta latus:
insonat ex humeris habilis corytus eunti,
saepe illinc duram cerva premebat humum.
Forte feras intenta sequi, trans ultima silvae
liminaque et virides iverat illa vias;
Pan videt et cupiit, profugamque per aspera lustra
insequitur; cupido dant alimenta morae:
non tam praecipites trepidae fugere columbae
aerium milvo forte secante polum;
non tam praecipitem se trux agit aethere milvus
quum trepidas mediis nubibus urget aves;
quam prior admisso virgo fugit anxia gressu,
quam deus ardenti spe citus addit iter.
Iamque laboranti similis, pallensque timore
audiit immissos pone sonare pedes:
iam properam tangit praelapsa sequentis imago
solis ad occiduum longior acta iubar:
candida iam propior ferventi spiritus aura
colla fovet, sparsas exagitatque comas.
576 Nequiquam patrias supplex oraverat undas,
nec poteras comitem, diva, iuvare tuam:
tum sic exanimis gemebunda voce locuta est,
et tulit: oranti gratia tanta datur:
'Cynthia, si comitem non iam licet ire tuarum,
sit patrias umbras, murmura nota, sequi:
flere tamen superest.' dixit liquefactaque in ipsis
vocibus humentis labitur amnis aquae.
frigus adhuc servat nulli violabilis unda,
semper amat fletus, murmura semper amat:

fert quoque cognatae nomen miserabile nymphae,
  quaque ibat tacitum lustrat, ut ante, nemus:
saepe illic casto dea flumine casta lavatur,
  et fletus auget fletibus ipsa suis:
saepe videt vitreo pastor iuga prona recessu
  demissum et liquidis aethera nare vadis;
utque repercussae nutent per caerula silvae,
  nec sua tranquillis intremat arbor aquis:
candida caeruleos variant armenta liquores,
  mutatisque viret lubrica silva vadis:
volvuntur tarde fluvii per rura morantes,
  mox ruit in Thamesin turba furentis aquae.

R. E.

79 *NAENIA AD FIDELIAE TVMVLVM*

RITE tuum ad tumulum, dilecta Fidelia, flores
  liliaque et violas purpureasque rosas,
et quidquid dederit ver suavius, ordine tristi
  et nymphae et iuvenes dona suprema ferent.
nulla leves turbare feris ululatibus umbras
  spectra, nec audebunt sollicitare locum;
ast hic fassa puella suos et pastor amores
  vota dabunt faciles accipientque fidem:
hic nulli lemures, obscoena venefica nulla
  ducent nocturnos, gens odiosa, choros;
at Dryades, silvae mitissima turba, sepulcrum
  spargent rore novo, sole cadente, tuum:
praesto erit et sociam miscere rubecula curam
  vespere sub sero cum silet omne nemus;
ille, ubi cara iaces viridi sub cespite virgo,
  frondibus et musco condecorabit humum:
cum tempestates caelique tonitrua terrent,
  ventorumque ruit vis agitatque lares;
cum silvas inter venando ludimus, ad te
  mens redit, ad fidam fida memorque tui:

a! quoties tua forma mihi, loca sola petenti,
obvia se comitem fert lacrimasque ciet:
flebilis heu! dum vita placet, miserandaque semper
donec erit terris pulsus et exul amor.

H. HALFORD, A. S. 1842

II

IBIT ad herbosum Corydon cum Phyllide bustum
quo dormis, formonsa Fidele,
primitiasque novi veris praedabitur, unde
dona tuo cineri cumulentur:

non spectra audebunt placidos violare recessus
per noctisque ululare tenebras,
huc cum virginibus veniet pastoria pubes,
ut teneros adspiret amores:

hinc aberit ruga deformis saga senili,
nec, lemures, celebrabite ludos
nocturnos: aderunt Dryades spargentque sepulcro
dona tenelli gemmea roris:

qualemcunque feret pia saepe rubecula primo
vespere opem muscoque virenti
floribus et variis decorabit, munere lecto,
quod premit ossa solum recubantis.

At meminisse tui semper sine fine iuvabit,
flamina seu reboent casulamque
in fragilem multo cum verbere saeviat imber,
sive feras sectabimur agris;

admonitu nobis praesens eris usque locorum,
lacrima nec tibi debita deerit,
semper amanda, brevi dum stat sua gratia vitae,
flendaque, dum dolor ipse senescat.

H. A. H.

92 *VLTIMVS VATVM*

IBAT uti multo vates infirmus ab aevo,
frigida per longam saeviit aura viam.
signa peractorum felicius ante dierum
arentesque genae canitiesque dabant.
barbiton ex umeris aptam puer orbus habebat:
illa voluptatum sola relicta senist.
ultimus ob patrios pugnando vulnera fines
passorum cecinit fortia facta ducum.
namque (referre piget) iam fugerat omnibus aetas
vatibus his: fratrum turba canora fuit.
ipse iacens damnisque minor quam vellet eadem
pace frui! socio quam comes ire choro!
non iam invectus equo gressus glomerante superbos,
matutina velut, laetus, alauda, canit;
hospes honoratus non iam multumque petitus
accubat egregio summus, ut ante, toro;
atque illic interque duces interque nitentes
carmina matronas non meditata sonat.
mutati mores mutataque tempora pollent:
advena legitimi munia regis obit.
iamque superstitio, iam ferrea vicerat aetas;
atque insons noxae vatis habetur opus.
exorat pacem vagus ac mendicus aditque
ex aliis alias pauper inopsque fores;
temptat et, auriculas oblectaturus agrestes,
lenimen regi quod fuit ante, lyram.

H. A. J. M.

II

STRIDEBANT Boreae: via longa patebat eunti:
invalidus fidicen iam seniorque fuit.
qui canos crines pallentiaque ora videret
crederet huic olim laetius isse dies.

at citharam, quae sola seni et suprema voluptas,
sustinet ex umeris orbus utrimque puer.
ultimus ipse fuit vatum solusque superstes
facta Latinorum quot cecinere patrum.
quippe aetas eheu! dudum fuit aurea vatum:
fraternos pressit nox diuturna choros:
ipse, dolens, despectus, inops, nihil amplius orat
quam portu socii quem tetigere frui.
non iam vectus equo pedibus qui spargit arenam
concinit, ut primo cantat alauda die:
non iam nobilibus conviva acceptus amicis
ad mensam oblato laetus honore sedet,
et recitat regum pueris regumque puellis
insita quos iubeat fundere musa modos.
antiqua antiquis fugit cum moribus aetas:
imperat Augusti gens aliena domo:
iampridem innocuae Musarum et Apollinis arti
infamem addiderant ferrea secla notam.
iamque vagus fidicen, miser et contemptus, habentum
limen adit, citharam tendit, et aera rogat,
aut temptat si forte queant placuisse Menalcae
carmina Caesariis auribus apta prius.

J. C.

III

LONGA via est, immite gelu, fera flamina: vatem
annosum invalidi sustinuere pedes:
rugosasque genas linquens canosque capillos
faustior errantem fugerat hora senem:
sola chelys misero visa est superesse voluptas:
demisso orbatus quam gerit ore puer.
illa Caledoniis pro finibus ultima pugnas
audaces patrio rettulit igne chelys:
scilicet extinctis aberat decus omne poetis
fraternam Scotiae qui tetigere lyram:

atque ille iniusto neglectus in orbe quietum
  cum sociis voluit participare rogum.
non ferventis equi cohibens iam frena canebat
  in matutino qualis alauda polo.
non in regifica conviva altissimus aula,
  magnatum adloquio liberiore fruens,
ante nitescentes dominas dominosque superbos
  fundebat subitum turbineumque melos.
tempora sunt mutata, artes abiere vetustae;
  advena habet solium, Carole amate, tuum:
desertusque vagans et victu paupere dives
  mendicare humiles cogitur ante domos,
altisonamque rudi citharam pulsare colono,
  quae modo regali dulcis in aure fuit.

F. HODGSON, A. S. 1809

53 *ILLVM ABSENS ABSENTEM AVDITQVE VIDETQVE*

DUM procul a patria spretus vagor anxius haerens,
  Scalde pigro teneor sive vagante Pado;
sive agor ulterius, qua barbarus ostia Dacus
  obserat, hospes adit siquis egetque domo;
quave iacet Romanus ager, contermina caelo
  undique planities squalida senta situ;
quocumque ipse feror pergens nova visere regna,
  te quaerit cupide mens peregreque domist;
te desiderio fratrem petit icta perenni;
  longior et compes fit? magis usque gravat.
tu mihi primus amor; bona te sine fine coronent;
  fausta larem excubias numina propter agant;
floreat iste locus, quo confugit otia quaerens
  hospes, ubi flammam vespere laetus alit;
floreat hospitium, morbi medicina famisque,
  illa peregrino cuique parata quies;

sit bene sit mensae, simplex ubi copia regnat,
  et circum suboles sanguine plena sedet:
ridet, ubi lusus, ioca numquam absentia gliscunt;
  tristis an auditur fabula? quisque gemit;
an pudibundus adest? cibus inditur; atque ita discunt,
  ipsis quam bene sit, qui meruere bene.

H. A. J. M.

605 *DIGNVM LAVDE VIRVM MVSA VETAT MORI*

MORTUUS est, an amicus abest? hic ametur et ille;
  hic questum, lacrimam vindicat ille sibi:
succurrat tibi nox operosae plurima lucis,
  et vivum exanimo vate loquatur opus:
ille, lucro maior fama fatoque, recusat
  forsitan imperii vel meminisse tui;
infima forsan habet, nobis quae summa vocantur;
  clarus et ob casum (nec tamen ante) nites.
et superos siquid supter caelestia templa
  tangere, vis animi quem geris ista queat:
ista, potensque sui durisque exercita rebus,
  non dolet aut cupit aut laudis amore tumet;
non regni rabies populive hanc aura lucrive
  turpis amor, mortis non quatit ipse timor.
nequiquam deserta petis loca: pergit in umbram
  musa silescentem subsequiturque comes.
illius est suprema sequi vestigia fortis;
  acta recognoscit, crimina laude beat.
voce coacta lucri si sordida turba recedit,
  donatique omnes, omnis inanis abit,
subve secure eadem limenve ad roboris haeret,
  cum comes extremus dixerit ipse 'vale.'

H. A. J. M.

609 *I'm no slave to such as you be*

NON tibi nec tali potero succumbere flammae,
non nivei candor pectoris iste capit,
non mihi qui iactant oculi nimis acriter orbes,
non adimant somnos aemula labra rosis;
i nunc et, citius si quem potes urere amantem,
pande cupidineas pande, puella, faces;
quae passim risus, passim suspiria vendit,
crede mihi, vanis me petet insidiis.
Scilicet alterius iuravi in verba puellae,
sit vultus nimium lubricus iste procul:
este procul pictae vos o tectoria formae,
mens est fucatis inviolata dolis:
et nitidam vestem et falsae periuria linguae
odimus: est aliis inde parandus amor:
illam ego depereo, quae denegat oscula recto
lumine, tuque operam perdis, inepta, tuam:
An placeant puero marcentia serta coronae,
unde caput quodvis se redimire queat?
si modo virgineos liceat decerpere flores,
quas intactus adhuc fert rubus ipse rosas:
tu tamen in peius deducere corda laboras,
at superest constans, intemerata fides:
integer interea vultu ridente sedebo,
tuque diem illusa pellicis arte teres.

II

TE similesque tui contemno liber amator:
pectora Sithonia candidiora nive,
curalium labri, nimium bene motus ocellus,
non facient unquam sit mihi dempta quies.
est alius Veneri magis aptus (opinor) Alexis;
huic licet ostendas ambitiosa facem:

res ego vulgatas, risum et suspiria nosco:
  expertis frustra piscibus esca datur.
Est alii mihi pacta fides: averte, puella,
  hinc oculos molles illecebrasque tuas:
ne me fucato speres retinere colore;
  ille patet dudum negligiturque dolus.
me piget, auratae si quae subtemine pallae
  vincit, et in quaestum peierat ore deos:
quae negat ex vultu, tamen est ita cara Lycoris,
  ut labor incassum concidat ille tibi.
Cui licet integris de sentibus ungue recentem
  florem virgineae subsecuisse rosae:
isne habet in pretio vitiatae serta corollae
  qualia vel capiti cuilibet esse solent?
tu nimium fida et certi mea pectora amoris
  proposito tempta surripuisse suo:
me iuvet interea penitus ridere sedentem,
  quod tibi nequiquam diffluat iste labor.

H. C. G. M.

We'll sit, my love, upon the shore

LITORE considens mecum quin mystica nostri
  sacra recognoscis, noster, amoris, amor?
fluctibus ut quamvis petulantibus aethera temptet,
  tranquillo sileat rursus, ut ante, salum.
quo nunc mercari decus atque extendere famam,
  signa quibus ponant aerea cumque locis?
seu molles aulae sive horrida castra vocabunt,
  pacarit furias ambitionis amor.
ut viola, in tecta malim convalle latenter
  crescere, quam trepidas per iuga nosse minas,
quas vomit ira noti: loca possidet amplior alta
  splendor, amat felix inferiora quies.
non mortale sapis: fundi possessor avarus
  quaerit opes, titulos ambitiosa cohors:

nos, amor, instituis felices vivere parvo;
  gloriaque imperii fit cinis ipsa suus.
quid superat quod habemus opum? duo, Cynthia, quanquam,
  nos tamen inter nos unus et omne sumus;
nos per inoffensum, ceu sidera, labimur orbem:
  summatim dat amor quidquid ubique bonist.

H. A. J. M.

611 *My Chloris, mark how green the groves*

ADSPICE, noster amor, silvae qua fronde virescant,
  lutea quot calthis undique ripa micet:
ipse iubet flores zephyrus depellere somnum,
  flaventemque tibi crispat, amata, comam.
turres iam properat regum vitare superbas,
  iam super agrestes cantat alauda domos;
scilicet haud alio subridet terra lepore
  coetubus in procerum ruricolumque grege.
mille per excelsam splendescant lampades aulam,
  flectat ubi vates plectra canora lyrae;
non secus at tenui modulatur arundine pastor
  umbra ubi betullae frondea cunque patet.
rusticus an moveat procerum fastidia ludus?
  non epulis certat nostra chorea suis:
hi tamen an iactant cura tam libera corda,
  quam niveos inter laeta caterva rubos?
florifera Corydon in valle susurrat amorem,
  rusticus agresti simplicitate procus:
si domini, virgo, te vox argutior oret,
  anne parem spirant conscia corda fidem?
haec tibi silvestres decerpsi munera flores,
  pectora quae decorent candidiora nive:
scilicet et domini gemmae testantur amorem;
  num tamen, a! demens, par amor ille meo?

A. H.

612 *FRVTICETVM*

A! felix aliis, uni illaetabilis umbra,
si facis ad pacem, non ego pace fruar:
haud bene conveniunt placida loca plena quiete,
quaeque salutifera corda quiete vacant:
est fuga quem vitrei laticis, quem pinus opaca,
alnus et arguti flamine mota noti;
est ea quem mulcere potis, siquid potis usquam,
ni mihi sit cura saucius ille pari.
scilicet ad vivum mea persedere medullis
vulnera, nec maeror discutiendus erit:
semper ubique eadem contristant nubila frontem,
nec ratio ulla vetat temporis, ulla loci:
quidquid enim in silvis viridique placebat in herba,
hospita secessus dum fuit alma quies,
desiit haec vultu simul arridere benigno,
perdidit id vires deliciasque suas.
haec vati calcanda forent spatia obsita musco,
sive quis arcanae seria mentis amat;
hi quoque avent umbras; sed non ut pabula curae
inde ferant, similes dissimilesque mei:
me vetat ire foris laetissima ruris amoeni
gratia, deformi me loca senta situ:
illa animo revocant anteactae gaudia vitae,
haec mala curarum mox subeunda monent.

H. A. H.

613 *Many a year is in its grave*

ANNUS ab extincto periit iam plurimus anno,
cum secui remis irrequieta lacus;
nec iuga non solita tingit dulcedine vesper,
cana situ tingit moenia, tingit aquas.
tunc geminos veterisque fide notaeque sodales
non aliud mecum cymba ferebat iter:

alterius constans pietas et mitior aevo;
  ut iuvenes fervent, fervidus alter erat.
alter ab emenso vitae per devia cursu
  devius abiiciens triste fefellit onus;
sed puer ille ferox et ovans volitare per ora
  martis ab horrisonis fugit in astra minis.
sic lapsi quoties sub corde remetior aevi
  tempora, praeteritos respicioque dies,
surgit amari aliquid dum pectora fida recordor,
  pectora, quo fungor, functa labore viae.
estne tamen caros aliud quod nectat amicos,
  mentis colloquio mens nisi docta frui?
mentibus in caelum tria corpora venimus olim:
  mentibus hic etiam quid vetat ire pares?
Ivimus: at triplex, tu, portitor, accipe naulum,
  dona, nec invideo, triplice digna choro:
scilicet una lacum transibat et altera mecum
  quae visus eadem non foret umbra tui.

R. C. J.

620 *NAVFRAGIVM*

PLURIMA sopitum turbant insomnia nautam,
  aequor ubi currit mox peritura ratis:
crebraque dilecti laris obversatur imago,
  rumpitur a gemitu spiritus unde gravi:
murmurat oceanus; venti putat ille susurros
  leniter arboreas sollicitare comas:
contiguamque casae patulam dare sibila fagum,
  visaque sub tignis garrula hirundo queri:
florentem puerum complectitur; ille loquentis
  accipit adridens flensque pericla patris;
interea coniunx lacrimat gaudetque vicissim
  adspiciens reducem post mala longa virum.
Excitus agnovit vani ludibria somni,
  impulit ut subito texta procella ratis;

continuo actarum turbam stupefactus aquarum
  sensit et in toto corpore terror erat:
perque foros amens et transtra natantia cursat,
  nautica quo pubes, lurida turba, coit:
turba coit, solvuntque animos atque ora pavore,
  desuper et circa vox gemebunda fremit:
nequiquam fortes heu! spe iacuere relicta,
  et stimulis versat pectora caeca furor.

J. M. L.

622 *See, Flavia, see that budding rose*

'ISTAM, vita, rosam cernisne ut fulgida gemmas
  explicet in densis semireducta comis?
quam secura suis iacet immunita latebris!
  quam cito tutela cum pereunte perit!
hanc modo fallacis suadent tepidissima Phoebi
  lumina sub medium luxuriare iubar:
nunc tamen eoi spirant fera flamina caeli,
  et perit in nitido qui fuit ore rubor.
quo monita exemplo diam tu protege formam,
  et famae nimiam, Flavia, pone sitim:
hic tibi securae datur, hic vixisse beatae:
  quid melius, quaeso, splendida fama daret?
tu latebras liquisse tuas umbramque dolebis,
  sicubi te laesae virginis aura petet,
aura puellari, mihi crede, infesta decori,
  qualia purpureae flabra borea rosae.'
Sic ego: respondens virgo sic orsa: 'Canendi
  disce modum: agrestem carmen agreste decet:
nam mihi praeteritam vox arguit invida formam,
  ingeniumque eadem vox hebes esse tuum.
ecquid inauditae carmen vocale volucris,
  ecquid, si plaudat nemo, poeta iuvat?
ecquis honos pulchri, nullis mirantibus, oris?
  ecquid inumbratae gratia casta rosae?'

J. M. L.

24 *The isles of Greece, the isles of Greece*

EN freta, Graiorum nitidis freta consita terris,
qua canere ardentem Lesbida iussit amor,
munia qua belli creverunt, munia pacis,
qua cum Deliacost edita Delos ero!
visit adhuc aestas et inaurat luce perenni:
sol manet, excepto cetera sole iacent.
prospiciunt montes supter Marathona patentem,
suppositum Marathon prospicit ipse salum:
olim ibi dum mecum meditabar somnia, rursumst
libera per somnos Graecia visa meos:
scilicet haud potui Persarum insistere bustis,
et simul in servi memet habere loco.
ecce supercilium rex clivi insederat illud,
exortam pelago quod Salamina videt:
multa carinarum sita milia saeclaque supter
tota virum: tantas unus habebat opes.
mane recensuerat cunctos: ubi vespere primo
tanta carinarum vis ea, tanta virum?
[haec ubi sunt? ubi tu, mea patria? litore muto
non movet heroos Calliopea sonos;
heroisque sonis ea respondentia quondam
cessarunt proprio corda salire sinu.
et lyra, divino tam longum praedita sensu,
sustinet in nostras degener ire manus?]

H. A. J. M.

26 *PARISINA*

TEMPUS adest ubi Cecropiae ferit alitis aures
alta superfusis orta querella comis;
tempus adest, votorum ubi murmure mollis in omni
fingere nescio quid dulce videtur amor:
et liquidae zephyrorum animae, vicinaque lympha
auribus in vacuis carminis instar habent:

10

rore madent leviter libata cacumina florum
  sidereique micant in statione chori:
et iam caeruleus magis est in marmore voltus,
  et folia in silvis lividiora suis:
inque polo obscurae clarissima noctis imago,
  nigra sed et liquido pura colore tamen:
qualis inest, ubi lapsa dies et vesperis hora
  cedit in arbitrium, candida luna, tuum:
egreditur Parisina foras, non illa canorum
  audiat ut murmur desilientis aquae:
sola petit noctem; noctis spatiata per umbras
  non tamen alma oculos pascere luce cupit;
seu sedet hospitiis sola in frondentibus Estes,
  at non expliciti floris amore sedet;
nec desiderio tua vox, si murmura quaerit,
  sed non blanda minus quam, philomela, tua est.
fallitur, an frondis spissam perlabitur umbram
  pes? gena pallescit corque tremore micat:
fallitur, an nova vox inter virgulta susurrat?
  corda tument; rediit qui fuit ore rubor,
haud mora convenient—spatium breve fugerit—ambo;
  fugit, et ipse suae sternitur ante pedes.

632 *POETA ET ROSA*

VER erat et placidae spirabant leniter aurae,
  gaudia cum ruris mane poeta petit;
suave nitent horti, levibusque faventibus austris
  omne salutifero germen odore fluit.
ille rosam legit, et mirantia lumina figens
  concinit hoc, musa praecipiente, melos:
'I nostram, rosa, quaere Chloen, gremioque venusto
  sis decus; a! felix terque quaterque forem,
hunc fidis mihi si flammis et amore perenni
  carum fata darent suppeditare locum;
illic, ut phoenix, oculorum ardore perusto
  involvi liquido ture et odore mori!

a! nescis, flos, heu! nescis infauste, quot illic
  suavius halantes experiere rosas;
en! video livore et spe marcescere lapsa
  languidulas frondes deciduumque caput:
funus utrumque manet; communi clade perimus;
  tu cadis invidia, me meus urit amor.'
'Haec tibi tu serves stulta exemplaria,' dicit
  proxima quae stabat rapta furore rosa.
te saltem ex aliis pudeat nos spernere, vates;
  quid facias, nostram si renuamus opem?
fervet quaeque rosis, quae fervet amore, poesis;
  hinc color, hinc vobis suppeditatur odor.
tene putas, insulse, Chloes augere decorem,
  cum patimur musae turpia probra tuae?
huic ut aduleris, cur nos marcescere cogis,
  cur languere iubes invidiaque mori?'

CHRISTOPHORVS ANSTEY, *A. S.* 1777

36 *Away; let nought to love displeasing*

NIL ergo noceat, nostro nil obsit amori,
  nil moveat curas, Laodamia, tuas:
nil veneris castae socialia dona moretur,
  neu timor aut fastus gaudia nostra fuget.
quid si verbosis titulis fulgentia regum
  exornant nostrum munera nulla genus?
at decorabit honos melior meliore corona,
  nobilitas nobis haec erit, esse bonis:
hoc dum virtutem ritu sine fraude colemus,
  nomen erit nostrum dulce per ora virum;
et stupor attonitos proceres mirandus habebit,
  se de plebe hominum sic coluisse genus:
quid si nos plena gazis fortuna reclusis
  non locupletarit, prodiga diva, manu?
exiguo tamen in censu sat habere placebit
  re bene contentis non superante modum.

et satis adsueto semper redeuntia gyro
  exiguis votis tempora quaeque dabunt:
nam ratio nostram reget et prudentia vitam,
  unica quae digna est solaque vita trahi:
nos manibus iunctis—sit prima, sit ultima vita—
  ibimus insignes inter utramque facem.
paxque larem risu cumulabit blanda benigno,
  blanda maritalem rite propago torum:
o quali dulces natos foveamus amore,
  dum patrium stipant cara caterva genu:
dum faciem facies reddit genetricis et ora,
  dum reddit notos balba loquella sonos:
et siquando aetas livoris concita dente
  laetitias nobis surripuisse velit,
te procus in pulchris repetetque coletque puellis,
  in pueris iterum me vetus uret amor.

A. H. W.

643 *IN SELIMEN IN VASE NAVFRAGAM*

VAS erat egregio fulgens splendore colorum,
  addiderant Sinae caerula serta manus:
in patulo Selime, felis dulcissima, labro
  miratur recubans marmora summa lacus;
ut videt, ut lentam pertemptant gaudia caudam!
  en mentum candens! en teretesque genae!
en digiti molles, varia testudine vestis
  pulchrior, en quali lumina luce virent!
auriculae decus agnoscit nigrumque nitorem,
  dulcisono fidam murmure laudat aquam.
par ubi miranti fratrum caeleste videri,
  illa lacus geminos credidit esse deos:
arma refulgebant auro sublustria quamquam
  illa prius mira tinxerat arte Tyros:
vidit et infelix amplecti nympha volebat;
  tangere mox labiis tendit et ungue deos:

hei mihi! femina erat felisque; auroque moveri
femina se, felis piscibus ecqua neget?
pectora demittit, promittit brachia rursus,
certa nimis: nec scit tanta subesse vada:
ripa pedes (vidit Lachesis risitque maligna)
fallit et in medias praecipitatur aquas:
ferre caput potuit novies e fluctibus altis,
flumineos novies sollicitare deos,
at neque delphines tergum praebere, neque una
Nereidum prompta vota iuvare manu:
nec Davus gemitum saevus nec Thestylis audit,
delicias dominae cetera turba fugit:
discite lugentes fata immatura puellae,
nunquam vos lapsum posse referre pedem:
cautius audaces ne siquid splendeat aurum
credite, nec licitum gaudia quidquid habet.

E. W. B.

653 *IN PAPILIONEM*

SIC face phoebea vernisque vocantibus auris
papilio valles et rosida prata pererrat,
ex aliis alios flores et suavia libans
plurima, dum fessus tandem ludique cibique
iam satur aedificat tecta inter frondea nidum,
et placita tandem secum requiete potitur;
quisque per aetherias errare licentius auras
gaudebat quondam, resides ibi contrahit alas,
et iam tecta fovet nec poscit ut ante vagari.

H. A. H.

654 *IN ALAVDAM*

NONNE vides, ut humi taciturna recumbat alauda
in celsis fugiens nidum sibi ponere ramis;
sin aurora omen clarae sine nube diei
praebeat adridens iubeatque exurgere lusum,

non sibi defuerit quod vox, quod debilis ala
obstiterit, tales monstrat se velle penates,
sed canit exsuperans nubes pennasque sub altum
intendit caelum, ceu vox sibi caelitus adsit.

H. A. H.

657 Οὐκ ὑπ' ἄλλων ἀλλὰ τοῖς αὐτῶν πτέροις

QVALIS rex avium, quem penna remige nimbos
scindentem immiti ferrum traiecerat ictu,
ipse suam prostratus humi, quam gesserat olim,
pinnam in letifera conspexit arundine; at acer
urit corda dolor, tantoque vel acrior urit,
quod tenera nidum lanugine foverat olim
ipsius in pectus quae ferro praebuit alam,
purpureae guttas animae bibitura supremas.

H. A. H.

660 *BELVS*

DESIERAT frontem rugis contractus et ipso
vindictam spirans voltu. contrarius olli
sed grato magis ore habituque venustius apto
surrexit Belus, qui formosissimus unus
exciderat caelo. facies praeclara minantis,
et voltus virtutis erat: tamen heu! solidum nil,
nil sincerum inerat. nam quamquam nectare lingua
stillaret, turbare potens consulta senatus,
et species alias veris et nomina rebus
sciret falsa dare: at mens illi sordida, in omne
curva malum, at semper magnos ignavus ad ausus
spiritus; utcunque adiectas sermonibus aures
blandus demulcere, loquellis suavibus infit.

G. DOBSON, *A. S.* 1750

667 *APIS*

VOS docti narrate senes, quicumque recessus
naturae arcanos vos cernere posse putatis,

unde docetur apis se ferre audacibus alis
per mille ancipitesque vias caelumque profundum;
unde fugit lentam visco stagnante paludem,
fecundos visens colles, ubi dulcior herba
melliferique expansa recludunt germina flores;
undeque densatis tenebris et sole cadenti
scire potest operae finem adventare diurnae?
quis docuit ventis pluviisque opponere pectus,
ferre domum fragrans ad certa alvearia pondus;
et pennis iterum campos tranare liquentis,
morigeras resonis dantem tinnitibus aures?

G. DOBSON, *A. S.* 1734

668 *The fields are ravished from the industrious swains*

CONTINUO videas sudantibus arva colonis
abrepta, inde deis sacraria, civibus urbes:
noxiaque herba tegit disiectis vilia muris
oppida: desertas (auditu triste) per aedes
flamina bacchantur reboantia, perque columnas
lascivit fractas hedera ambitiosa; pererrat
squalida venantum securus rudera cervus;
obscenae vulpes in hiantia busta recedunt,
et trucibus sanctas implent ululatibus aedes.

H. A. H.

679 *As when a shepherd of the Hebrid isles*

QVALIS ubi Hebudiae pastor de vertice rupis,
quae longe arctoas tristis obumbrat aquas,
sole sub occiduo procul in convalle remota,
saxosive super culmina nuda iugi,
aut videt aut vidisse putat, (seu credula fallit
mens vacuum et fictis ludit imaginibus,
sive quod aëriae nonnumquam haec corpora formae
sumpsere humanis conspicienda oculis,)

innumeram glomerari aciem circumque moveri;
mox eadem in ventos it resoluta leves.

BARO GRENVILLE

681 *RESVRGAM*

ANNE dabit florem mitis revirescere Parca
meque sinet foedo sordere in pulvere? an uni
nimirum natura homini male iusta iubebit
spem vanam alterius periturum pascere vitae?
hanc propter durum cum paupertate dolore
adsiduisque malis virtus certamen inibit?
non ita: ver illud, ver immortale futurumst
olim homini, venietque ori rediviva venustas,
alma per aeternum cum pax dominabitur aevom.

H. A. H.

693 *In other part stood one who at the forge*

PARTE alia steterat, valida qui incude laborans
pondera bina aeris ferrique immensa domarat;
sive reperta, ruens qua fors absumpserat ignis
montanis nemora alta iugis aut vallibus imis
usque cavas terrae in venas, liquida inde cavernae
ad fauces effusa: acri seu vortice in auras
impulerat rapida vi subterraneus ignis.
hinc massam in cellas resolutam rite paratas
detulit: unde artis varia ut fabricaverat arma,
tum quidquid fusum fieret sculptumve metallo.

G. DOBSON, *A.S.* 1750

694 *A man so various that he seemed to be*

PENDULA mens fluitat, tamquam contraxerat omnem
hinc illinc genium et quocunque sub aethere nati
pectoris ambagem. dicto sermone teneri
difficilis pravique tenax; sed moribus anceps

alternis animum nunc huc nunc fluctuat illuc,
in partesque rapit vicibus perque omnia versat:
et prius emensum quam luna recurrat in orbem,
rem populi tractat, tibicinis atque chymistae.
hoc stetit in votis, patrios disperdere census,
immeritos magnis opibus donare clientes:
vix tandem ut loculis elapsa pecunia plenis
fluxerat, ignavae sensit ludibria turbae:
dum suus huic lepor adrisit, cultoribus aurum.

FRANCISCVS ATTERBVRY

705 *Oft may the spirits of the dead descend*

AT mihi per noctes emissa Acheronte profundo
dum teneor somnis adsit amica manus:
adsit oberranti per sera silentiae lunae,
heu! licet ex oculis non adamare queam,
luce carens vivum compellet amicus amicum
per campos dubia nocte, tegatque latus:
campos rursum obeant, olim loca conscia amoris
dum polus et veneres explicat alma Pales.
saepius ut mundus nituit focus, et mihi nati
rident ad patrios aemula turba lares,
hi quoque convivae faciles orantibus adsint,
et loca quae vivis heu! placuere beent.

H. C. G. M.

710 *He ended and the Archangel soon drew nigh*

FINIERAT Genitor: caelestiaque exuit ora
dux superum, humanaeque homini sub imagine formae
maluit occursare: super lucentibus armis
fusa sinus rutilos fluitabat bellica vestis,
cui vivo neque certarit Meliboea nitore
nec Sarrana chlamys, veterum gestamina quondam
heroum regumque sequestra pace fruentum;
tinxerat ipsa Iris subtemina. deinde soluto

stellantis vinclo galeae, virtute virili
effulsit mistisque rosis et flore iuventae.
hasta manum armarat; laterique affixus ut orbe
signifero pendens ardebat fulgidus ensis,
ensis atrox, Satanae terror.

G. DOBSON, *A. S.* 1750

712 *IN EDVARDVM TERTIVM*

QVOD si fata tibi tantum praescire dedissent
venturas, quantum rebus praesentibus uti;
si nosses fore, captivis ubi regibus istis
orti miscerent thalamos neptisque neposque,
qui, quidquid tenuit tua vasta potentia, quidquid
vastior ultra animus voluit tenuisse, tenerent;
(quis melior fortuna dedit quodcumque vel umquam
victrix causa solet sperare aut victa timere;)
si quod manaret proprio de sanguine sanguis
nosses, quo maduere diu confinia regna,
nec tua sic nec avi saevisset nobilis ira,
nec consanguinea tepuissent caede nepotes.

715 *DAEMONVM ACIES*

CONTINUO decies spectantur mille per umbras
attolli bellorum insignia, multiplicesque
undatim iactare faces; una horrida silva
hastarum exurgit, scutis scuta ordine diro
et galeae galeis consertae. it protinus aequis
ordinibus condensa phalanx: dum plurima buxo
tibia multifori et modulamine fistula lento
molle sonans gressusque regit fingitque canendo.
carmine non alio bellantes dorica musa
impulit heroas, quos non furor egit inanis,
sed vis firma animi, sed virtus ardua leti
indignata metum turpisque ignara repulsae.

G. DOBSON, *A. S.* 1750

II

NEC longum tempus decies et milia furvas
signorum fulgent radiis adversa per auras:
una ingens silvae species surgentibus hastis
tollitur et clypei ardentes galeaeque comantes
confertim vasto se produnt obvia tractu.
mox constructa phalanx incessu lenta canentum
ad numeros mollis vestigia fingit eundo;
tibia multifori ceu quando dorica buxo
heroas quondam veteres in bella ciebat;
non furor illud erat, rabies nec concita cantu;
sed sibi constantes animi, sedataque virtus
contemptrix leti et nullis frangenda periclis.

T. POWER, *A. S.* 1691

III

TUM dicto citius decies millena per auras
obscuras vexilla volant, variosque colores
diffundunt crebro sinuata per aera motu:
et simul arrectis silva ingens horruit hastis.
tum galeae et densi nutant longo ordine coni,
iunguntur clypei faciuntque umbonibus artis
immensam belli seriem: mox pectora mulcet
tibia compositaeque simul movere phalanges;
tibia, non qualis temeraria pectora motu
impellit subito furiisque accendit iniquis;
sed qualis veteres animans in praelia quondam
heroas docuit sedato pectore pugnas
aspicere horrentes patriaeque expendere vitam
impavidos turpique fugae praeponere mortem.

M. BOLD, *A. S.* 1702

716 *Hark! the wild maniac sings to chide the gale*

CANTIBUS at querulis (audin?) furibunda puella
ventorum inculpare moras, ni carbasa portent

ocius immensum pueri conspecta per aequor.
illa olim infelix hiberni in litore ponti
fluctibus evectum saevis miserabile corpus
viderat: hinc subito pallentem agnoscere formam,
attonita hinc auras ululatu implere, manusque
iungere frigentes oculosque intendere fixos.
heu vidua, heu vanis funestam effusa per oram
fletibus; effracta dum plumam e mente volucrem
vertit Mnemosyne, caeloque emissa secundo
somnia demulcent memores tranquilla dolores,
pacis et efficta e germana maior imago.
Phantasos interea ardenti perfundere pectus
laetitiae fulgore, et si qua obscurior umbra
densatam illustrare animi spes irrita noctem.

A. H.

719 *IN OBITVM AMYNTAE*

NONNE vides, Damon, qua scindit lucida nubem
purpura; nonne audis numeros et dia sonare
carmina? surgit ibi penna sublimis Amyntas;
at iuvenum exultans caelestis turma recepto
gratatur socio et cantu comitatur euntem.
ille secat liquidas auras, volat ecce poloque
usque venit propior, stellasque accedit ad ipsas:
miratur rutilum novus aetheris hospes honorem
gemmatasque foris atque aurea limina portae.
caelicolae cantate hilares, laudateque fratris
vocem omnes; hinc iste ipsa concentus in aethra
dulcior excolitur; diae cantate choreae,
dum nostri adsiduis lacrimis implentur ocelli;
quippe hodie in terris alter non restat Amyntas.

J. G. L.

721 *PROBORVM MORS*

CVI spes ulterior, casus munitur ad omnes;
cumque senectutem labentes leniter anni

adtulerint sensim, mortem ista mente propinquam
aspicit, ut longis qui tempestatibus actus
portum in conspectu tenet effugiumque malorum.
scilicet hunc unum mortis vicinia terret,
qui sibi praemetuit siquid post funera restet;
non hunc qui recte vitam sancteque peregit;
hic sese excutiens sibi plaudit et, aureus ut sol,
usque sub occasum diffuso lumine ridet:
hic, matura dies cum mortis venerit, aevom
suspicit inmortale: hic spe meliore triumphans
caelicolum iamnunc praelibat gaudia votis.

ISAACVS HAWKINS BROWNE

'26 *VOTA PALAMONIS AD VENEREM*

ALMA Venus, fecunda parens, dea dulcis amorum,
terrigenis eadem ac caelestibus una voluptas,
labenti sub sole tuum quae lucida cursum
dirigis, et splendes pulcherrima, qua tua caeli
te regio decet eximiam: tibi flatibus euri
hibernis parcunt, tum ver bene pandit agitque
rite tuus mensis, totusque recluditur annus.
te, dea, te nimbi fugiunt hiemisque procellae;
floribus ecce novis tibi terra renidet ubique,
laetior aura poli ridet, numerosque canoros
carminibus volucres et amori suaviter aptant.
te sine nil gratum vel amabile, diva, bonumve
exoritur; regis imperio tu munera passim
omnia naturae, vitamque benigna tueris;
cuncta olim fundasti et nunc fundata reponis.

J. G. L.

'28 *No sister e'er hath been to thee with pearly eyes of love*

NON germana umquam casto te aspexit amore,
nec caelo profugum flevit carissima mater:

nulla manus lympha veniens de nube rigavit
fauces igne tuas arentis: nulla iacentem
te vox permulsit, magnae o clarissime gentis;
te sed enim sors laeta manet, te gaudia sancta,
paxque, Deum si rite colas pietatis amantem.
tum tibi, tum dabitur ferventi ardore relicto
flumineos inter latices silvasque vagari:
exustosque pedes ego multo lacte lavabo;
at lacrimae exciderint memori si forte malorum
has mea siccabunt et pellent oscula luctus,
tuque sacerdotum comes et spatiabere regum,
aetheris incedens candenti lumine cinctus,
sublimisque procul iuga qua caelestia surgunt
elysios inter colles aestate frueris.

W. D.

729 *And now the nightingale not distant far*

HAUD procul interea solam philomela querellam
exorsa est, lunaeque ad frigida cornua fudit
carmen inexhaustum magis et numerosius, ac quo
surgentem solem cristata salutat alauda.
illis—visus enim penetrabilis intima cantus
pectora percutere atque animi pervadere ad oras—
quidquid ibi pacis fuerat, seu quidquid amoris,
harmonia mira volucris se iungere cantu:
corda salutari naturae tacta patebant
impete, nec splendor noctis, neque lapsus aquarum,
aemula divini nec carminis ales, amantes
secius advenere illos, quam tempore verno
ros vespertinus sitientes inrigat herbas.

G. B.

731 *VITAE SVMMA*

I NUNC usuram vitae mirare caducam;
sedulus huc illuc, ut musca, nitentibus alis
pervolita, rorem deliba, vescere et aura
paulisper, mox in nihilum rediturus et exspes.

haeccine vitai summa est? sic irrita vota?
huc promissa cadunt? en quanto verius illa,
illa est vita hominis, dabitur cum cernere verum,
non, ut nunc facimus, sensim longasque coacti
ire per ambages meditando, at protinus uno
intuitu, nebulaque omni iam rebus adempta.

ISAACVS HAWKINS BROWNE

733 *His spear to equal which the tallest pine*

QVANTA ratem mediis nunc malus dirigit undis,
quae modo per montes surgebat maxima pinus,
tale hastile fuit (parvis componere magna
si fas) quo gressus regit et vestigia firmat
carbones super urentis; circumque supraque
in latus inque caput gradientis cuspide torto
vibrantur flammae totusque involvitur aestu:
infelix non sic calcabat sidera quondam.
sed tamen et tantos potuit perferre dolores:
et stetit ut iuxta flammantis litora ponti,
evocat inde acies fusas, caelestia dudum
numina, et attonitas legiones voce sonora
suscitat, ut stagno circum iacuere frequentes:
mille quot umbrosas supter labentia silvas
flamina consternunt autumni tempore frondes.

T. POWER, *A. S.* 1691

II

HASTA subest dextrae, cui vel celsissima pinus
Norvegiis nutrita iugis, praetoria malo
puppis ut utatur, virgam collata referret:
hac stabiles firmat gressus per adusta locorum,
non qualis placide nuper per caerula caeli
ibat, at hinc illinc candenti a fornice flammae
incubuere acres. tantis sed perstitit usque
non minor ille moris, donec iam gurgitis oras

ventumst ignivomi: clamat socia agmina, formae
agmina caelestis, quae prona iacentia torpor
alligat atque oblita sui: quot frigore primo
sternuntur foliis fontesque et stagna caducis
valle sub umbrosa, scenam qua tusca virentem
nent nemora excelsosque super curvantur in arcus.

H. A. H.

740 *OMNIA VICIBVS FIVNT*

PERSPICE naturam rerum: mutatur ubique
in gyrum, non morte perit: moribunda diei
lumina nox sequitur, succedunt lumina nocti.
surgunt, deinde cadunt stellae, surguntque renatae.
exemplum sequitur tellus: nam fertilis aestas,
ambrosios flores viridemque induta coronam,
in flavum cadit autumnum; nec secius illum
purpureis uvis et flava messe decorum
horrida bruma gelu tumidisque invecta procellis
dissipat; ipsa novo sese mox vere resolvit.
denique ver genitale tepentibus exit ab oris
austrinos linquens thalamos, spiratque favoni
flatibus, et revocat primus qui venerat aestum.
omnia sic marcent, redivivaque tempora florent
ut currente rota quae iam cecidere resurgunt:
sic homini transit solum, non interit aetas.

G. B.

II

NATURAM rerum circumspice: cuncta recursant;
mutant cuncta vices; nihil interit. ordine certo
lux sequitur noctem, sequitur nox funera lucis.
astra cadunt oritura iterum, casura resurgunt.
sunt et telluri sua tempora. protinus aestas
flore nitens roseo et viridi redimita corolla
marcet et autumno pallenti languida cedit.
dissipat autumni segetes atque aurea poma

aspera hiemps glacie et strepitantibus improba ventis:
ultro eadem veris vice solvitur: ambrosios ver
inspirat zephyros thalamisque tepentibus austri
evocat aestatem. neque enim minus omnia vitam
marcendo reparant: orbisque volubilis instar
rerum nunc premitur, nunc sursus vertitur ordo:
sic hominum quoque morte carent labentia saecla.

J. L. H.

745 *AD BACONVM ET NEWTONVM VIRR. CLL.*

ILLUSTRES animae! si quid mortalia tangunt
caelicolas, si gentis adhuc cura ulla britannae;
vos, precor, antiquum vos instaurate vigorem,
ut tandem excusso nitamur ad ardua somno
virtutis verae memores et laudis avitae.
nempe horum egregias reor haud sine numine dotes
enasci potuisse: Deum quis tempore in omni
conspersisse, velut stellas, hinc inde locorum
splendidiora animi quasi quaedam lumina; ut istis
accensa exemplis se degener efferat aetas,
agnoscatque sui quam sit sublimis origo.

ISAACVS HAWKINS BROWNE

749 *Forthwith the sounds and seas, each creek and bay*

AT vada continuo, freta longa, sinusque reducti
prole nova fervere maris, gentesque natantum
innumeras dare, quae pinna squamaque micanti
caeruleum subeunt fluctum et vi saepe coacta
impediunt turgentem. hi soli, sive mariti,
pascuaque algarum tondent lustrantque coralli
puniceum nemus; hi rapido se immittere lusu,
loricasque litas guttis sublustribus auri
apricis obvertere aquis. tum gemmea praedae
concha hiat humenti lenteque avet; artubus olli

armatis actae invigilant sub rupibus escae,
et phocae et pandi delphines marmora radunt.
quinetiam mole immani volventia cete
turpia, deformi gressu, invertere profundum.

E. W. B.

II

PROTINUS omne fretum, sinus omnis et omnia ponti
aequora pisciculis immenso examine passim
plena tument: populi circum densissima fervent
agmina fluctivagi: pinnarum et remige multo
splendescunt squamis celeres sub caerula lapsi,
aut medium denso impediunt simul agmine pontum.
pars herbam aequoream et canentia pabula tondent
soli, pars iunctim exultant silvisque coralli
discurrunt saliuntque ad solem terga corusca
pandentes, auroque leves variante relucent.
bacatis alii conchis humentia ponti
pabula securi capiunt, rupisve benigno
vertice obumbrati expectant alimenta, latentque
membratim adsutae rigido sub tegmine testae.
at phocae et curvi ludunt in marmore puro
delphines; sine more alii turgentia membra
mole rotant immani atque aequora turbine vexant.

G. DOBSON, *A. S.* 1750

752 *ANTITHEVS SERPENTIS SPECIE PARADISVM INGRESSVS*

MULTA locum obstupuit, multo magis haeret in illa,
qualis ubi ingenti dudum qui clausus in urbe,
plurima qua vicis stant tecta frequentibus et qua
turpis ab infesta diffunditur unda cloaca,
quum primum aestivos aurora accenderit ignes,
egreditur tandem et pagos vicinaque lustrat
rura: pererrantem sequitur renovata voluptas,
seu captare novos sectum per gramen odores

perque armenta petit flaventisque inter aristas
aut ubi sepositi stant lactis olentia dona,
sive iuvant oculos spectacula rustica sive
agrestes strepitus et suavem audire tumultum:
si tamen hunc olim specie formosa puella
nympha velut molles gressus agat, illius ergo
quae placuit nuper iucundior omnis imago est,
illa tamen longe praestantior una videtur,
illa voluptates in se complectitur omnis;
tum quoque non alia tactus dulcedine serpens
floriferam miratur humum, qua sola recenti
mane suis stabat seclusa recessibus Eva.

G. J. K.

759 *SIGNA IMPENDENTIS PROCELLAE*

AST ubi pallenti e caelo descendere solem
distinctum maculis conspexeris hasve flagranti
incertas orbe errantes, passim aura rubescit
flammis tincta vagis; caelo fluitantia pendent
nubila, iamque magis terram iamque aera, cursu
vix medio librata, petunt: regionis eoae
exerit e thalamo obtusa se Cynthia luce,
lucidaque exili comprendit cornua cinctu:
dein acie fracta stellae demittere lumen,
fluctuat ingenti motu qua turbidus aer,
aut visae obscuram subito percurrere noctem
et longi flammarum a tergo albescere tractus.
saepe caduca brevi frons turbine raptá volabit,
saepe videbis aqua in summa colludere plumas.

C. S.

II

PALLENTI quoties descendit ab aethere Phoebus
perfusus maculis, quarum non una per orbem
ardentem se incerta movet, rutilantia circum
igne micare novo et crinitis fulgura flammis:

continuo amisso libramine caeca vacillant
nubila, quem dominum dubia aut quae certa sequantur
imperia: ecce euri surgens liventis ab oris
lentior obtusis, posito ceu lumine, Phoebe
cornibus exoritur, canentem pallida nimbum
induta. en! fractas acies per inane retusae
emittunt stellae; tum turbida fluctuat aura.
saepe etiam videas tenebras transcurrere noctis
flammarum et longos a tergo albescere tractus:
ast infra seras iactari turbine frondes,
et summa nantis in aqua colludere plumas.

G. B.

764 *Fired at first sight with what the Muse imparts*

INTUITU musae primo novitateque capta
adspirat doctrinae ad culmina summa iuventus
intrepida, et quoniam tunc mens est arta suoque
omnia metitur modulo, male lippa labores
pone secuturos oculis non aspicit aequis:
mox autem attonitae menti iamiamque mathesis
crebrescit variata modis sine limite miris.
sic ubi desertis conscendere vallibus Alpes
adgredimur, nubesque humilis calcare videmur,
protinus aeternas superasse nives et in ipso
invenisse viae laetamur limine finem:
his vero exactis tacito terrore videmus
durum crescentem magis et magis usque laborem,
iam longus tandem prospectus laesa fatigat
lumina, dum colles adsurgunt undique feti
collibus, impositaeque emergunt Alpibus Alpes.

C. SMART, *A. S.* 1750

II

MUSA solet primis accendere pectora flammis;
impavidi summas artes fretique iuventa

temptamus, quippe ingenium nequit ultima visu
prospicere, aut retro longe porrecta videre
inclusum angustis spatiis: mox cernere discit
ulteriora acie, et sophiae spectacula passim
infinita novis miratur surgere formis.
sic primis laeti pedibus minitantia saxa
scandimus aeriasque Alpes, vallemque iacentem
spernere gaudemus, caeloque incedimus ipso:
aeternasque nives iam praeteriisse videmur;
primus enim mons quisque et nubes quaeque laborum
creditur extremus finis; mox proxima frustra
attigimus, quoniam via se nova porrigit usque,
et magis atque magis graviora pericla timemus.
iamque vagos oculos prospectu scena fatigat
latior extendens sese, scopulosque minaces
despiciunt scopuli, cumulanturque Alpibus Alpes.

J. G. L.

770 *Tears, idle tears, I know not what they mean*

HEU! quid significent lacrimae, quid fletus inanis?
divino lacrimae conceptae fonte doloris
pectore consurgunt, seseque in lumina cogunt
autumni laetas messes atque arva tuenti,
quandocumque animo subit irrevocabile tempus.
candida ceu pelago primum conspecta renident
vela ratis, nobis quae trans mare ducit amicos
australi reduces terra, vel quale rubescunt
carbasa, quae tremulas descendunt maesta sub undas,
dilectosque simul vitreo sub marmore condunt.
tristia praeteriti redeunt sic acta diei,
tristia sic redeunt, ut prima aestate volucrum
matutina cadunt morientis carmina in auris
lumine non certo, cum iam morientis ocellis
paulatim quadras tremulae explicuere fenestrae.

G. B.

II

SCILICET apricas quoties contemplor aristas
autumni lapsos revocans sub pectore soles,
nescio quid penitus plusquam mortale requiro
ingenti desiderio, nec certus amari
quid siet, incassum lacrimis suffundor obortis.
quale novum velo iubar albescente renidet,
devexis cui forte sui redduntur ab austris;
quale iubar maestis supremum navis inaurat
carbasa, dimidium vitae abscondentis in aequor;
tam veteri manet albus honor, tam lugubris aevo.
ac veluti dubiis sub lucem aestate tenebris
fit vigilum male nidorum vagitus; at aegro
auscultat sensu moriens, cui lumina cernunt
sublustrem iam stare magis magis aegra fenestram;
tam lapsi subit aegra die, tam tristis imago.

R. C. J.

III

ΦΕΥ. δάκρυα φαῦλα δάκρυα, κοὐκ ἔχω μαθεῖν
οἷ' ἐστι, δάκρυα δ' ἐκ μέσων ἀθυμίας
θείας βυθῶν ῥαγέντα θαυμαστῷ τρόπῳ
πρὸ καρδίας ἔσταχε καὶ κατ' ὀμμάτων
ἐπισσύτοις πηγαῖσιν, ὡς ὁρῶσ' ἄγρον
ὀπωρινὸν γελῶντα τὰς πρὶν ἡμέρας
ἐξουκολούμην πενθίμοις φρούδας φρεσίν.
γλυκερὸν μέν οἷον ἱστίοις στίλβει γάνος
τὸ πρῶτον, εὔτε νοστίμους κάτωθεν αὖ
πάλιν πρὸς οἶκον ναυστολεῖ φίλως φίλους·
πικρὸν δ' ὅπως φῶς ἔσχατον πρύμνης ἐπι
θαλασσίων πρὶν τερμόνων δῦναι κάτω
πάντων ὅσ' ἐστι φιλτάτων γέμον σκάφος.
οὕτω γέ τοι γλυκύπικρον αἱ πρὶν ἡμέραι.

φεῦ φεῦ· ἔω μὲν οἷον ὀρνέων μινύρεται
τῶν πρωτομόλπων σκότιον ἐξ ὕπνου μέλος,
πικρόν τι θαῦμ᾽ εἰς ὦτα θνήσκοντος θέρει,
θύρις δ᾽ ἀμαυροῖς ἐκφανεῖσ᾽ ὄσσοις μόγις
φάος τι τετράγωνον ἀνταλλάσσεται·
ὡς πικρὸν, ὡς θαυμαστὸν αἱ πρὶν ἡμέραι.

E. T.

772 *When Venus from her orb descends in showers*

IAM Venus ipsa suo pluvia descendit ab orbe,
laetificatque solum pingitque coloribus arva:
iam primae adparent nascentis graminis herbae,
quaeque reformidant Euri fera flamina gemmae;
vestibulum stant ad vitae dubitantque morantem
veste nova decorare annum, dum lenior aestus,
et pluviae mollis iterumque iterumque cadentis,
sub venis iubeant sucum exultare virentem.
naturae at vocem simul audivere vocantis,
paulatim audebunt exire et germina trudunt
turgida et angustis gaudent erumpere claustris;
sic magis atque magis flores panduntur eoo
gratantes soli atque orientia lumina mulcent.
adspirant dulces animis halantibus aurae,
aëre gratus odor diffunditur; inde nocentes
purgantur caelo pestes et pectora fervent
laetitia, tum verna novis concentibus hora
exilit atque hilares ducit certo agmine menses.

J. G. L.

II

UNDE Venus delapsa suo parat orbe relicto
tellurem pluviis recreare et pingere campos
floribus, herbarum teneri succrescere culmi
tum primum incipiunt: tum mollia germina nondum
flaminis Eurorum patientia frondibus annum

vix audent ornare haerentque in limine vitae:
dum tepidus calor et rores aspargine crebra
per venas dederint viridis fervescere sucos:
tum vero tollunt animos nec iussa recusant,
sed trudunt ultro gemmas angustaque rumpunt
vincula: deinde sinus magis et magis undique pandunt
et gratam excipiunt lucem solesque salutant.
mox illas zephyrus cum primum animaverit aura,
halat odor caeli purgans contagia; mentes
gaudia pertemptant hominum; tum carmine pleno
ver graditur secumque hilaris agit ordine menses.

J. L. H.

773 *The wild swan's death-hymn took the soul*

QVAE loca ferali penitus dulcedine cantus
cepit olor moriens. primo summissa venire
murmura plorantis, liquidoque arguta susurro,
dum vaga depressis humili sub nubibus ala
grassatur trepidando aut longe naenia serpens
aut propior: sed mox plenum increbrescere carmen
morte triumphantis, maiorque ad sidera paean
mille rapi numeris et gloria fervere cantus:
qualis ubi magno in populo si tympana festum
mixta tubis celebrant, citharisque sonatur et auro,
it strepitus portis, et ovantia murmura volvi
vesperis exaudit tremulo sub lumine pastor.
* [iamque comas muscorum humiles herbaeque sequacis
gramina, iam canis saliceta madentia ramis,
quaeque terunt fluctus resonantis cornua ripae,
quaeque sinus vastos desolatasque paludes
innumero decorant argentea lilia coetu,
obruit exundans numeroso gurgite carmen.]

R. C. J.

* Vide Appendicem C ad calcem libri.

II

CARMINA tum moriens dedit exequialia cygnus
quae cito laetitia maesta deserta locorum
implerunt: primum summissus fertur in aures
sed plenus liquidusque sonus: mox nubila supter
erigitur, medius caeli qua fluctuat aer,
debilitate valens: mox aetheris ardua temptat,
mox quoque serpit humi praenuntia naenia mortis.
denique laeta modis vox exultantibus exit
non mortale sonans; variisque et lege solutis
auditur numeris mirum et mutabile carmen.
qualis, ubi magnus populus laetatur eundo,
auratasque tenent citharas et cymbala pulsant
tympanaque, inde sonus dubio discrimine vocum
volvitur in campos per portas urbis apertas,
pastor ubi vigilans prospectat vesperis astrum.

G. B.

781 *AD PHYLLIDA*

POSCIS ut omne meum soli tibi serviat aevom?
sed quod praeteriit, iam desiit esse: volucres
aufugere dies, velut aegri somnia, quorum
in memori tantum vestigia mente supersunt.
nec minus in tempus spem proiice, vana, futurum;
quod rerum natura parens nondum edidit, id tu
vis esse arbitrii, mea dulcis ineptula, nostri?
praesenti tantum momento sors mea constat,
quod, simul atque meum est, dominam te respicit unam.
mitte ergo has nugas, conversos, Phylli, furores
et fluxam garrire fidem et periuria amantum:
hoc si momento, quod protrahat alma Dione,
in te noster amor duraverit, ulterius nil
humano generi Iovis indulgentia confert.

II

QVAE mihi praeteriit, mea non est amplius aetas,
interiere horae; ceu quum fallacia cedunt
somnia queis nil iam superest, nisi mentis imago,
quae mihi venturast, nondum sane astitit aetas,
nec mea iure audit; rebus praesentibus uti
sors mihi sola datur; quae si mihi forte parassem,
omnia, Phylli, rapis. noli mutabile pectus
incusare animosque leves et perfida vota;
si deus huc veniens mihi iam quod volvitur unum
momentum dederit, quo constans tempore servem
in te, cara, fidem, superos haud plura rogarim.

J. G. L.

785 *REDEVNT SATVRNIA REGNA*

IAM patefactus adest aetatis clarior ortus,
laetitiaque omnes recreant nova flumina terras,
pulchra veste nitet passim natura, neque audit
infecunda; carens vitio haec opprobria fugit.
pinguis ager ridet fetu, ieiunaque quondam
terra, vel infami male dives nomine, tandem
spinarum tolli maledictum laeta fatetur,
tum variae tempestates iunguntur in unum,
ver erat aeternum tempestas una; neque hortus
iam metuit scabram pestem neque saepta requirit;
quippe cupit nemo vetitum; penuria nusquam est:
vescunturque tigres ursi iunctique leones
depositoque metu pecudes; gens cuncta vel aestu
aprica in medio recubat, vel ludit in umbra
communi nemorum et communia flumina potat.

J. G. L.

786 *Behold where age's wretched victim lies*

EN ubi succumbit saevae miseranda senectae
victima, languentis oculos dextramque trementem
aspice: ut infirmos quatit aeger anhelitus artus!
sensibus obrepunt incerti oblivia somni,
solaque percipitur per acutos vita dolores.
tempore praedanti cedent argentea vitae
vincula dissilientque: ruet volventibus annis
urna levis longoque aevo labefacta peribit:
scilicet haec fati lex est; moriemur honoris
expertes et vana erimus sine nomine turba:
usque aliam ex alia stirpem manet exitus idem;
gens cadit haec; nova surgit abit sequiturque priorem;
aevi quaeque brevis terraque exorta parente
mox reditura iterum in veteris primordia terrae.

G. DOBSON, *A. S.* 1734

789 *INSCRIPTIO ANTRI POPIANI IN LITORE THAMESINO MARMORIBVS METALLIS ET GEMMIS ORNATI*

QVISQVIS iter tendis, vitreas qua lucidus undas
speluncae late Thamesis praetendit opacae:
marmorea trepidant ubi lentae in fornice guttae
crystallisque latex fractus scintillat acutis;
gemmaque luxuriae nondum famulata nitenti
splendet et incoquitur tectum sine fraude metallum,
ingredere, o! rerum pura cole mente parentem,
auriferasque auri metuens scrutare cavernas:
ingredere; Egeriae sacrum en tibi panditur antrum!
hic in se totum longe per opaca futuri
temporis Henricum rapuit vis vivida mentis:
hic pia Vindhamius traxit suspiria in ipsa
morte memor patriae; hic Marmonti pectore prima
caelestis fido caluerunt semina flammae.

temnere opes pretium sceleris patriamque tueri
fortis, ades; tibi sponte patet venerabile limen.

II

HIC ubi sublustri silvae nutantis in umbra
lucentes pandit Thamesis unda sinus;
pendet ubi tectis gemmarum plurima cuspis,
et lymphae abrumpit subsilientis iter;
marmora qua nondum luxu violata renident,
innocuasque vibrant caeca metalla faces:
naturae ingenuae scrutare recondita dona:
effossas aude temnere divitias!
ecce, hospes, sacrae et genium venerare cavernae:
Laelius hic volvens magna sedere solet:
Vyndhamus hic gemuit patriae succensus amore;
et te, Marchmonti, vivida flamma rapit.
i pecus hinc venale! loco vos fingite dignos
qui patriam colitis pauperiemque probam.

III

SISTE, qua late Thamesis per antrum
lucet obscurum, tenuisque lympha
pumices inter nitidaeque lamnae
semina lento

rore prorepit tacitisque furtim
labitur guttis, pede mox crepante
desilit praeceps rudibusque gemmis
fracta renidet.

siste, naturae studiosus hospes,
ima quas tellus meliore vena
promit insontes, nec avarus auri,
suspice gazas.

solus hic sacri requiescat antri
sede, qui musae patriaeque amore
captus infames bene pauper audet
spernere acervos.

N. HARDINGE, *A. S.* 1741

790 *AVREA AETAS*

ERGO prima dies integra luce videbat
expertem sceleris gentem, nec inertia dio
sub iubare iniustos traherent quod corpora somnos
erubuit: sensim fugit sopor omnis: at olli
continuo vires pariter cum sole refecti
eripere e stratis sese, seu vertere terram
sit facilem, pecudum maneat seu cura volentis.
nondum atrox facinus nec fraudis operta malignae
caelestes animi norant; quibus una beatis
iura daret ratio, quibus officiosa voluntas.
ipsa parens vultu favit natura benigno
consona; ridebat facies innubila caeli
frigore detersi zephyrique perennibus auris;
ambrosios passim nil non spirabat odores;
nunquam alias Phoebus radiorum spicula misit
lucidiora novo iam aetatis flore superbus,
tum laetae pingui rorabant ubere nubes
continuo: passim per lene tumentia prata
miscebant impune greges armentaque ludos.

H. A. H.

799 *TARTAREAE SEDES*

SUPTER ubi in matris secreta cubilia terrae
descendit solis virtus fecunda mariti
fatalisque auri videt incunabula flava,
supter ubi implumis nido iacet aura profundo,
et tener innocuo vagit cum murmure ventus:
supter ubi aeterna longe sub mole reposti
thesauri ingentes magnarum arcentur aquarum,

(oceanus maris ipsius, quo fluminis instar
fertur et omnigenas inter confunditur undas)
nulla ubi sopitos fluctus exsuscitat aura,
nec dominae inritat placidos vis improba lunae;
est locus immensum in spatium immensumque profundum
porrectus quem nox genuinusque obruit horror;
non illum recreat dulcis tenuissima caeli
rima, nec eois scintilla excussa quadrigis
perstringit solidasve valet terebrare tenebras:
non hic gemmatis stillantia sidera guttis
impugnant saevae ius inviolabile noctis:
Lucifer hoc late tenet illaetabile regnum
inter vincla minax, inter tormenta superbus,
ipso quem patitur crudelior igne tyrannus.

A. COWLEY

800 *NON OMNIS MORIAR*

PRAETEREA esse aliquid vere quod pertinet ad nos
morte obita, nemo secum non concipit; intus,
monstratum est intus: testatur docta vetustas;
publica vox clamat; neque gens tam barbara, quae non
prospiciat trans funus et ulteriora requirat.
hinc seritur tarde crescens et postuma merces
quercus, natorum natis quae prosit; et ingens
pyramidum moles stat inexpugnabilis annis.
hinc cura illa omnis vivendi extendere metas,
nomine victuro; tanti est hinc fama superstes,
ingenio ut quisquis praecellit, nulla recuset
ille subire pericla nec ullos ferre labores,
si modo venturi speciem sibi vindicet aevi,
gloriaque ad seros veniat mansura nepotes.

I. H. BROWNE

801 *PENELOPE VLYSSEN IN SOMNIS ADFATVR*

IAM procul absentem, iam desine flere sepultam,
o Laertiade! nulli datur inter Achivos

coniugibus caris olim optatisque redire
incolumi natis; has improbus occupat ardor,
has agit extorris patrio violentia regno.
at me mille procis extrema ad fata petitam
obtestor superum, si fas modo, numina divom,
nec tetigit novos ullus amor nec funere mersit
intempestá dies nec amarae tela Dianae;
sed tua perpetuo cura infandique labores,
omnibus heu terris iterati atque omne per aequor,
totque malis luctata super tua mitis imago
me desiderio confectam miscuit umbris.
iamque vale! his terris aeterno vere beatis
nostri nec nimium memor ut potiare relicto.

SAVAGIVS LANDOR

805 *SATANAE CVM MORTE CERTAMEN*

DIXIT atrox aspectu, inhians, interque minandum
ingruere ante oculos, maiorque increscere visa est
immanis species, membrorumque arduos horror.
nec minus indignans rabieque accensus eadem
restitit immotus tamen ille, instarque cometae
effulsit, si quando arctoa flammeus arce
eminet illustrans Ophiuchi ingentia terga
pestemque effusis serit orbi et bella capillis.
ambo intendentes capiti stant tela, neque ictum
ingeminaturi, tot librant funera dextris.
illa se intuitus caligine contemplantur
qua duo, feti armis divom, freta Caspia verrunt
infandumque crepant nimbi; vix frontibus alam
ancipitem adductis vibrant, dum flamina marti
signa canant, atrique instaurent proelia caeli.
sic illi miscere minas ut Tartara plures
colligerent tenebras, pugnae sic stare parati.

E. W. B.

II

TALIA iactanti dictis et saeva minanti
accrescit monstro species immanior oris,
et magis informes et iam magis explicat artus.
stat contra Titan ira inflammatus at idem
impavidus: qualis caelo fax dira cometae
ardet in arctoo totusque incenditur ingens
anguifer: infandas pestes et tristia bella
horrenti quatit ille coma. letalia tela
alter in alterius caput intendere neque ictus
funestos iterare parant: stat uterque superbo
ore minax: veluti binae quo tempore nubes,
caeli fulminibus gravidae, nigrantia claudunt
agmina cum strepituque super freta Caspia currunt:
iam sistunt adversam aciem paullumque morantur
aëre sublimes, donec pater Aeolus Austris
insonat et medio miscentur proelia caelo:
sic stabant: illis sic torva tuentibus Orcus
ipse nigrescebat: sic collati arma gerebant.

J. L. H.

808 *IN ARANEAM*

Sic per neglecta culinae
maenia desertaeve aulae, qua plurima musca
huc illuc volitat suspendit aranea fila
visceribus deducta suis. ipsa interiore
excubias agit in cella; mox stridula praeda
involat in casses, latebris improvida mortis
insidiantis in his: captam nihil ala iuvabit,
nil pes festinus, miri nil splendor ocelli;
frustra vespa vorax et raucus murmure fucus,
frustra papilio, pennas expandere gaudens
distinctas auro, densis implexa repugnat
retibus; interea pestis rapido effera gressu

irruit in praedam miseram, cui laeta cruorem
frustra luctanti viroso combibit ore,
abripit in latebras et ovans exsangue cadaver.

817 *While musing thus with contemplation fed*

STABAM multa movens, studio sic pastus inani,
mille per incertam fervent dum somnia mentem;
iamque canora mihi supra caput astitit ales,
et liquido philomela modos e gutture fudit;
obstipui, raptusque nova dulcedine dixi;
'quanto oculis potior quam traximus aure voluptas!'
meque simul volui sumptis quatere aethera pennis:
'fortunata nimis! cui retia nulla timori,
non urget labor ullus, agis neque in horrea messes:
nil conscire tibi, nulla pallescere cura
sorte datum, quo plura petas, quo noxia vites;
at passim cibus, at numquam velamina sordent:
pocula sunt fontis liquidi tibi fronsque cubile,
nec memori veterum nec mox ventura timenti.'

C. S. C.

825 *DIONE*

AT misero rapuisse fugam cum prima parenti
fama refert, magna curarum exaestuat unda:
nunc pronus cadit in terram, trepidantia membra
stratus humi et crebris pertunsus pectora palmis:
nunc surgit pictosque, amens dum lumina volvit,
cernit inops animi voltus haeretque tuendo:
'o patris,' exclamat, 'vivendi sola voluptas,
o veros referens voltus genetricis imago,
quo ruis? an miseram trahit ista in fata salutis
rapta fides summaque etiamnum volveris unda?
anne inter salices abrepta comam impendentes
horrescis gelida et ventos suspensa tremescis?

mene patrem meaque a! nimium crudelia iussa
nata fugis, mentique exosa iugalia vincla?
vos posthac animum moniti informate rebellem,
consiliis neu vim invitis adhibete parentes.'

A. W. P.

828 *AVICVLAE* ΠΤΕΡΥΓΙΖΟΥΣΑΙ

SAEPE ubi sera dies devexo sole renidet,
iamque favet caeli clementia blanda sereni,
et silvae redolent croceo splendore micantes,
en nova progenies invisit inania caeli
et campos quacumque oculis alisque patescunt
prospicit aerios, sua regna et pascua. primum
frondibus in summis lusus variare videbis,
et quotiens passis conantur in aera pennis,
in statione haerent totiens nisusque resorbent;
necdum audent laxo tentae libramine pennae
credere se vacuo, donec dux mater ab alto
praevolat hortatuque vocat iubet increpat urguet,
cessantesque redux impellit. protinus aer
plumigerum sustentat onus, nulloque magistro
iam rudibus vacuum proles diverberat alis:
mox ad humum delapsa, metus oblita prioris
alta petit rursus, tanta est fiducia pennae,
et volitans volitansque usque ulteriora capessit.

H. A. H.

II

SAEPE aestate nova, cum iam descendit in undas
Phoebus et Hesperium radiis discriminat aureis
caelum, ala zephyrus iam ludere gaudet odora;
continuo e latebris tenerum genus agmine facto
egreditur visitque exortum lumina solis:
quis quacumque acies oculi, quacumque per auras

penna vehat, sua regna patent. mox arbore ab alta
huc illuc versantur et ipso in limine pendent,
nec timidi passis audent se credere velis
aequoribus, tutoque pavent exsolvere portu,
donec in ignotas prolem ductūrus amatam
ipse plagas aderit genitor, stimulatque morantes
sollicitatque frequens verbis et in aequora trudit.
nec mora, plumigerum mollis genus excipit aer:
caerula remigio vexantur prata volantum:
inde petunt terram; rursusque audacius altum
tendere iter iuvat et cursus superare priores.

J. Y. S.

833 *TITHONVS*

[MARCESCUNT nemorum, nemorum labuntur honores,
roriferae deflent nubes, oriuntur et arvis
incumbunt supterque hominum defuncta recumbunt
saecla, nec aestates non deciduntur oloris.
solus ego immortale trahens aegerrimus aevom
carpor: inaresco te complectente quietum
limen ad hoc mundi, dum cana remetior umbra
secretas orientis imagine vanior aulas,
multiplicis nebulas, sublustria templa diei.
Heu senis hanc umbram, prius e terrestribus unum
cum specie florens et te dignante cubili,
(dignabaris enim) quicquid sublime minatus
quin essem in superis adeo quid rebar abesse?]*
Concilies, dixi, *caelum mihi.* blanda roganti
annuis: haud aliter terrae quoque plenior heres
largirique solet nec habere quod imputet illud.
sed rabiem explerunt ultrices acriter horae,
et stravere graves et mutavere terendo,
quodque necem citra poterant, deformis adessem
aeternae voluere, iuventutique senectus

* Vide Appendicem D ad calcem libri

divinae divina, meae facis ipse superstes.
num vel amor tanti, pulcherrima? sidere quamquam,
dum loquor, impendente, tuae duce lampadis albo,
suave coruscantes oculi miserantis obortis
stant lacrimis? absolve, precor, retro exime donum.
cur velit humani generis transcendere quoquam
foedus homo aut ultra sanctum procedere finem?
hic cunctis claudenda, hic clausa probabitur aetas.

R. C. J.

835 *HORTVS*

QVISNAM adeo, mortale genus, praecordia versat
heu palmae laurique furor vel simplicis herbae?
arbor ut indomitos ornet vix una labores,
tempora nec foliis praecingat tota malignis;
dum simul implexi tranquillae ad serta quietis
omnigeni coeunt flores integraque silva.
alma quies, teneo te, et te, germana quietis
simplicitas, vos ipse diu per templa per urbes
quaesivi regumque per alta palatia frustra:
sed vos hortorum per opaca silentia longe
celarunt plantae virides et concolor umbra.
o mihi si vestros liceat penetrare recessus
erranti, lasso et vitae melioris anhelo!
municipem servate novum: votoque potitum
frondosae cives optate in florea regna.
me quoque, vos Musae et te conscie testor Apollo,
non armenta iuvant hominum circive tumultus
mugitusve fori: sed me penetralia veris
horroresque trahunt muti et consortia sola.

A. MARVELL

837 *CERVI VENATIO*

IAM cervus formae et maturi conscius aevi,
pigritia partim, partim suadente timore,

abdiderat sese in latebras, quas nec tua, Phoebe,
nec tua, venator, percurrere lumina possent.
vix cubat, adrectas cum longe verberat aures
inprovisa canum rabies clamorque virorum.
exilit attonitus sed adhuc incredulus istos
persuadere volens sibi se lusisse timores;
dum sonus ingruat atque oculis testantibus adsint
maiora auditis iam visa pericla periclis,
dumque videt varia saltus indagine cinctos,
praeclusosque aditus atque artes mille nocendi;
olli multa pedum virtus multusque recursat
frontis honos, seu terga dabit seu pectora bello.
stabitne an fugiet? pudor hoc, metus impedit illud;
praepollet metus et pedibus confidere suadet.
838 Tum fugit et sese cursu miratur in ipso,
praevertisse sonum exultans et signa sequentum;
donec turba frequens mox instet nare sagaci,
vimque minus celerem compenset odora canum vis:
iamque pedum falsamque salutem et perfidum odorem
incusat, causasque sui vestigia fati.
exin amicitias veteres pertemptat et infert
se socium vulgo, cui nutu olim imperitarat.
agmen non aeque cautum transversa tuetur
suppliciter venientem, illumque fugitve fugatve:
qualis ubi summo regni detrusus honore
hostibus obicitur ridendus, flendus amicis
aulicus, invitus recolit, quando esset eodem
de grege, sese alios itidem sprevisse iacentes.
839 Hinc nemorum secreta petit saltusque per omnes
migrat et agnoscit veterum loca conscia amorum;
metiturque oculo tristis quos ante per agros
errabat rerum dominus rurisque gregisque,
audebatque unus cunctis indicere bellum,
opponens sese victorque potitus amatast:
horrendum insonuere ingentia tela minaeque

frontis et ad fluvium silvae retulere triumphos:
nunc languet primum et pugnae se subtrahit; ipsi
tanti amor ante fuit vel vita carior ipsa.
nunc omnes terrent aurae, fronde hostis in omni est;
quotque hostes subeunt, mortes tot adesse videntur,
dein lassus, depulsus ab his atque actus ab illis,
hanc unam cernit, nullam sperare salutem.
inde animos iterum sumit, vanumque timorem
ponit et incursus omnes stat tendere contra.
840 Iamque illum taedet fugisse: fugaque pudenda
amissas optat serasque ad proelia vires:
verum ubi multiplici sentit deprensus ab hoste,
obsessusque canum venantum hominumque corona;
valdius inceptum temerariaque improbat ausa,
quam quem non multo damnaverat ante timorem;
caeca loca esse malae fidei, maioraque pensat
quam desperatis dubiis discrimina rebus.
tunc, cum nil socii prosint viresque dolique
et desit quasi terra fugae, se mittit in undas;
et secum, certe non hic quoque ab hoste lacessar;
altum est quod teneo canibusque voracius ipsis:
sed frustra intrepide sequitur malesuada caterva,
nec levat unda sitim, sitis ista levanda cruore est.
ceu navem exagitant, cui vel negat Aeolus auras
vel Neptunus aquas, parvae celeresque biremes;
stat mole ingenti, pereat ne prorsus inulta,
prospectans ecquae numerosa e classe supremas
ausint ferre minas desperantemque furorem.

841 *ADAMVS PARADISO EXVLANS*

Hic ipse colendo
cuncta frequentarem repetens loca, quae Deus olim
invisit praesens tantoque afflavit honore,
quin etiam et natos ex ordine cuncta docerem,

hoc ut monte palam steterit, consederit illic
fronde sub arborea, qualem sub pinibus istis
audierim vocem stantis pro fonte Iehovae;
proque locis totidem struerem de caespite vivo
aras et lectis quocumque ex amne lapillis,
quae restent monumenta Dei natisque colantur:
quis super innocuas fruges et dona cremarem
turea, quot campus submittit et hortus odores.
at quorum imperiis residens et in orbe remoto
caelestes sequar usque notas, vestigia tanta?
nam licet iratum fugiens aliena sub astra
exierim, tamen in vitae revocatus honores
spemque novi generis, iam vix praesentis adoro
signa Dei longaeque extrema volumina pallae.

C. M.

842 *With richer stuff he bade heaven's fabric shine*

CONVEXA accendit caeli meliore metallo,
iamque nova arcano prorumpit gloria fonte,
atque implet solem exundans; hinc flumine vivo
lucis inexhaustae mundum se spargit in omnem
magnum, quo factost numen studiosa referre.
inde rudem lunae massam simplexque polivit
voce opus et radios aurato pectine compsit:
'surge,' ait, 'et maestae regnum vigil accipe noctis;'
surrexit traxitque sacrae vaga syrmata lucis.
attollunt famulas hinc atque hinc sidera taedas,
et pulchram cingunt dominam et comitantur euntem.
turget humus fecunda et pubescentibus herbis
miratur risumque suum insolitosque colores.
iamque iter aerium radunt impune volantes,
exultantque alacres passim formidine nulla.
nondum luxuries illis humana minatast,
nondum letalis modulamina rupit arundo.

tum magnum tenui cecinerunt gutture numen
securae fraudum; numen namque omnia laudant,
fluctivagi pisces, mutum genus; illius ipsi
munus erant, montesque maris, volventia cete,
quique suas parvo superant vix corpore harenas.

A. COWLEY

843 *First in his east the glorious lamp was seen*

SEDE sua primum atque eoo margine caeli
conspicitur lucis moderator, splendida lampas,
et radiis omnem circum discriminat oram
aetheris, exultansque polum superare meatu
incipit acclivo; glaucis Aurora capillis
Pleiadesque viam praeeunt nectuntque choreas,
unde fluens dulcis permulcet gratia terras.
axe sub occiduo contraria luna refulget
orbe minor neque luce pari totaque nitentem
fronte refert, similis speculo, sua solis ab ore
ora fovens; alios neque enim desiderat ignes
sic posita, et paribus spatiis observat euntem
nocte tenus sera: tum denique fundit eoo
ipsa iubar regina polo, regnumque vicissim
dividit astrorum cum milibus atque trecenis
milibus, aetherias emersit quanta per arces
turba simul gemmis distinguere visa coruscis.
sic quartae finem simul imposuere diei
Aurora et vesper, laetusque et lumine florens
ignis uterque sui tum primum oriente cadente.

H. A. H.

850 *COLLIS DICTVS COOPERI*

EX alto demitto oculum, qua Thamesis imas
convalles secat et lascivis gressibus errat,
Thamesis oceano patri carissima proles,
cuius in amplexus gestit properare, marinum

et liquida in fiscum sua vectigalia pendit,
ut fluit in vitam mortalis vita perennem.
quod si non aureas sub gurgite volvat harenas,
nec vomat electrum sicut Tagus Eridanusque;
ecce tibi genuina magisque innoxia dona,
quae misso fundo ripa spectabis utraque,
quam super extendit se atque almis incubat alis,
infundens gremio venturi veris honores;
quos mora non perdit nimis importuna, tenellum
opprimit ut partum quandoque inprovida mater:
impete nec fluctu, tanquam rex prodigus aufert
851 quas donarat opes; viridis nec munera prati
corruit aut sata laeta, hominumque boumque labores;
sed bonus it felixque et iugi fonte: Deoque
adsimilis gaudente animo sua dona revolvit.
nec sat habet vicina sibi sic rura beare,
sed vento et pelago communior omnia visit;
et non ingratae ditissima fenora ripae
ostentat largusque oras dispergit in omnes,
divitiasque refert gemino sub sole iacentes
velivolo curru et nostram facit Indiam utramque:
quaerit opes ubi sunt, ubi desunt ipse ministrat;
urbibus et silvas et silvis conserit urbes.
usque adeo nullast regio non cognita nobis,
illius in gremio totus cum veneat orbis.
O si sic fluerem et grandi decurrere possem
par argumento, ad fundum perlucidus imum,
lentus at haud segnis, validus sine vortice, plenus
alveo sed propriae contentus margine ripae.
852 Interea celsus mons inter nubila condit
aerium caput; ex umeris toga frondea longe
pendet et ad talos densis demittitur umbris;
dumque supercilia, in rugas contracta minaces,
torve prospiciunt labentem leniter amnem;
ardua frons (ea sunt summorum fata) procellis

armatus populus, quo plus de regibus aequis
rettulit, hoc usque est ausus sibi plura rogare;
dum reges tandem dando regalia prodant,
et concedendo decedant iure negandi.
invitus qui dat, sese arguit ipse timoris;
gratiaque ingrata est, sunt indonataque dona.
872 Dum prensare manu, quae non retinere valerent,
tendebant reges, primos fecere rebelles:
dum populus contra, legum munimine rupto,
irruit in vetita et plusquàm popularia iura,
excessu parili demens peccavit; uterque
fit minor, in quantum male certat maior haberi.
cum fluvius subita pluvia nivibusve solutis
augetur victorque tenet contermina prata,
molibus a latere obiectis atque aggere crebro
tutatur messes vicinia cauta futuras.
hactenus haec aegre fert, fert tamen: attamen ultra
siquid temptatur veteremve artare canalem,
seu mutare novo motumque avertere cursum;
nescius ista pati tumet, intonat, obice ab ipso
diluvium factus, quod erat torrens modo, nullasque
agnoscit ripas: qua vult se sistere ripa est.

874 *AETNA*

AETNA, tuos ignes quondam sopita premebas
integra iam moles, omnis secura pericli,
turritumque apicem diademate cincta nivali
nubibus abdebas; necdum ulla tonitrua supter
turbabant intestino treme facta vireta
murmure: purpureae vites et pinguis oliva
collibus apricis, spem non mentita coloni,
maturescebat ruptis illaesa caminis:
cum, mundo ceu summa dies instaret, in alvo
concipiens gravida flammas conixaque partus
horrificos edis, motu quo gurgitis ima

et solidae convolsa tremunt fundamina terrae:
exiliunt fumi piceoque volumine in auras
se miscent superas, unde emicat ignea rima
et stygiam crebra rumpunt face fulgura noctem.

H. A. H.

877 *Come then, my friend! my genius, come along*

HUC mihi, amice veni, precor huc mihi, care, venito,
magne geni, cantus idem vatisque magister.
Et si musa humilis demittitur altave surgit,
si scribit turpes hominum sub pectore motus,
seu potius praeclara virum certamina laudat,
me doceas tecum varii rationibus usus
ut sapiam, servemque modum formamque decentem
sublatusque cadensque. O dum cita labitur aetas
teque tuamque ferens famam, pennaque volabis
usque nova, viresque adquiret nomen eundo;
dic mihi, an haec fragilis comes ibit in aequore cymba,
teque triumphantem felix aurasque sequetur;
et musa haec saeclo poterit narrare futuro,
quod tu dux aderas, sapiens atque unus amicus;
teque iubente modos converti et carminis artem
et res temptabam, sonitum neque vocis inanem
dilexi; nec vana ciebam somnia, at ipsum
pectus agens penitus flexi; speculumque dolosum
ingenii spernens, naturae lumina fidus
ostendi; monstrans homines errare superbos;
quod iubeat Deus, id rectum; virtute beatos
sola posse omnes reddi neque plura requiri;
et summam amplecti doctrinae γνῶθι σεαυτόν.

J. G. L.

881 *Father, thy hand hath reared these venerable columns*

HAS, Pater, extruxit veteres tua dextra columnas,
texuit hoc laqueare virens. te scilicet olim

despiciente informe solum, pulcherrimus ordo
exiit arboreus: tum gemmas trudere rami
sole tuo, frondesque tuis agitare virentis
flaminibus, superasque poli se tollere in auras.
cui quercus natalis apex, longaeva volucris,
centum ea quae totos vivendo perficit annos,
haec senio est extincta inter ramalia cornix;
dum stetit et stat adhuc multa caligine lucus,
magna avium domus, ante alias procera propago.
huc aliquis veniens summisso pectore Numen
conveniat, velut ante aras: loca sola propinquo
plena Deo: Deus est, si quae clementior aura
succinit et toto percurrit culmina luco;
et si quae ex altis ramorum emissa tenebris
frigore vix recreat, recreat tamen, ora genasque.
hic res nulla Dei non conscia, non humus, alto
fonte madens humus, aut nodoso cortice trunci.

H. C. J. M.

892 *Then as the spring gives place to elder time*

INDE ut ver geniale premente aestate refugit,
et dedit aestivos tellus iam prodiga flores,
nostra etiam transit florem festiva iuventus;
et ratione incocta simul maturuit aetas:
materia hinc leviore mihi magalia feci
quae probra arcerent pecori pecorisque magistro.
daedala cura fuit philomelae fingere claustra
et lento fragilem fiscellam texere iunco:
quis labyrinthea pisces involvere nassa
doctior aut agitare feras sollertior usquam?
astrorumque vias didici discernere, certos
lunae defectus et certos Cypridis ortus.
et docuit maiora usu maturior aetas,
undarum subitos aestu turgente tumores,

garritus volucrum, plaudentis et omina pennae,
herbarum vires, quae noxia quaeque salubris;
quemque adeo caulem pecus insaniret edendo,
et quisnam aeterna damnaret lumina nocte.

THEODORVS BATHVRST, *A. S.* 1595

893 *HAVD IMPVNE SPRETA SENECTVS*

NEQVIQVAM incusat Neptunia numina demens,
qui credit tumido iam naufraga carbasa ponto;
sic, sic ignavi, pastoria turba, puelli
pascitis auricomis balantum armenta genistis.
quod si sol forsan voltu meliore renidet,
ver rediisse adeo bruma cedente putatis:
inde iuvat victos hiemis ridere furores,
et stipula argutas inter stridere cicadas,
vosque anni dominos male credula turba putatis,
saepe tamen cum vos defunctos esse periclo
speratis, subito rugoso pallida voltu
bruma venit, sulcis perarata senilibus ora,
quaque procellosas tremulum iaculata sagittas;
cor stupet hinc, rigidus coit in praecordia sanguis:
tum demum cadit inconsulta ferocia vobis
et pecudes bruma reccrudescente rigescunt,
commeritas pendit tum vestra superbia poenas,
planctuque et gemitu glomeratoque agmine cladum.

THEODORVS BATHVRST, *A. S.* 1595

897 *ICARII ET PENELOPES DIGRESSVS*

AT pater Icarius, licet ipse probasset amores,
ipse suum generum peregrina sede vocasset,
quamvis ante alios prudens Laertius heros
adsuetusque foret bellique marisque periclis,
et tuta aequoreis consurgeret insula saxis,
sensit quam durum est dilecta prole relinqui.

aequaevis sociis ubi iam conviva vacaret,
hanc unam reduci noctem annexere iuventae
floribus atque hedera quae fallax tendit Iacchus;
tum bene erat, madidumque senem sopor aureus ursit;
ast ubi mane videt fluidas marcere corollas
ad thalamos, ut ecum tremefacta hinnitibus aula
personat, ut currunt vacui remeantque ministri
instupet; attonito dolor (ante remotior) obdit
tempora; singultant aures ac genua labascunt.

SAVAGIVS LANDOR

901 *His eyes he opened and beheld a field*

INTENDITQVE oculos campumque aspectat apertum:
hinc segetem et demessa recens videt hordea, pastus
hinc et saepta ovium: medioque ut limes in agro,
ara rudis congesta herbis et caespite agresti
constitit: huc porro viridantem messor aristam
primitias sudans, tulit huc flaventia farra
quae sibi forte vagae collegerat obvia dextrae.
proximus upilio accessit gestuque modesto
primitias pecorum praestanti corpore lectas
adduxit simplex; tum rite operatus omasum
extaque consperso fragrantia ture resectis
imposuit lignis sollemni more sacrorum.
huius odoratis confestim halantia fumis
munera propitio descendens laetius igni
perculit aetheriae raptim vis vivida flammae:
at non alterius; deerat nam pectus honesto
incoctum. hinc praeceps medio in sermone vibratum
ille rotans rapide saxum trans pectus adegit
pastori: ruit attonitus pallensque gemensque
indignantem animam multo cum sanguine fudit.

G. DOBSON, *A. S.* 1750

902 *Cease, man of woman born, to hope relief*

DESINE, mortalis, iam tandem desine finem
quaerere curarum spatiumque optare dolori:
spes age pone leves ventisque remitte; rebelles
quin potius reprime affectus mentemque paratam
erige: neu vanae vexent tibi pectora curae
obdurata malis longoque adsueta dolori.
membra gravi fractus senio adsiduoque labore
pronus in occasum verges trepidantibus annis:
et moriens varios (legatum heu triste) tumultus
sollicito generi litesque et bella relinques
aspera, ad extremos olim mittenda nepotes.
quisque suos luctus misero patrimonia nato
debita concedet pater, infelicior heres
quae capiet cumulata et adhuc cumulanda relinquet.

G. DOBSON, *A. S.* 1734

905 *IPHIGENIA*

ILLA autem aversa atque inimico pallida voltu
pulchrior astabat virgo maiorque videri,
'exedit nostram scelus exitiale iuventam,
haec' ait 'in culpast; quin illaetabilis orae
nomen, ubi primum spe fallor, destinor arae,
mens vel adhuc memorare horret luctuque refugit.
praetexit dextra voltum pater; ipsa retunsos
advolvebam oculos, lacrimisque et voce morata
multa loqui conor; singultu clamor acerbo
inceptus, velut in somnis, frustratur hiantes.
sed reges poteram, nigris capita horrida barbis,
cernere et in nostras ardentia lumina poenas.
tum silva altarum ponto tremit antennarum,
tum coetus et templa deum litusque coruscat;

splendida mors iugulo micat et iam iamque minatur,
et ferit et sensus nox abstulit atra priores.'

F. W. H. M.

906 *Yet measuring all the long continued space*

SI mecum evolvam spatium omne quod usque peregit
lapsorum sine fine volubilis ordo dierum,
ex quo prosiluit de carcere tempus ad horam
qua primum incepi matris concrescere in alvo,
aut nil prorsus eram aut memet saltem ipse latebam.
rursusne in nihilum fatorum lege revertar
hac artus fugiente anima? penitusne iacebo
perditus angustaque aeternum condar in urna?
particulae hoc corpus quae composuere, caducos
inlapsae in cineres, nunquamne in prisca coibunt
foedera: sed rerum confusa mole solutae
incipient membra in diversa aliasque figuras
ire nec agnoscent veteris vestigia formae?
an vox illa, homini vitae quae infundere sensum
dignata est, prohibet redivivo accendier igne?
nulla semel labentem animam, vis nulla catenis
eripiet tenebrarum et carcere noctis opaco?

G. DOBSON, *A. S.* 1734

914 *Another part in squadrons and gross bands*

PARS alia adglomerans turmis et milite denso,
explorare audax, si forte benignior aër
det placidam fessis regna inter tristia sedem,
quattuor instructi agminibus prope quattuor amnes
infernos tendunt pennis iter, unde superne
noxia in ardentem miscetur flamma paludem:
hinc letale odium Stygis atque inamabile nomen;
hinc altus nigransque Acheron, fons ille doloris;

Cocytique aestus, cui maesto in litore fletus
dant nomen longe auditi; Phlegethontis et irae,
cui rapidus flammis saevit torrentibus amnis.
at procul his tacito lentoque ibi flumine labens
fert labyrintheo devexa oblivia cursu
Lethaeum flumen; qua si quis potat ab unda,
continuo vitam et prius obliviscitur aevom,
laetitiam luctumque voluptatemque metumque.
trans fluvium concreta gelu atque obducta tenebris
vasta iacet late regio, quam turbine pulsant
adsiduo tempestates et grandine diro;
ille solo firmo solvi nequit et sibi molem
aggerat, antiquis velut aedes fracta ruinis.

J. G. L.

915 *Oft in the piping shrouds had Leonard heard*

SAEPE fremunt dum vela notis, audibat aquai
praecipitantis humi sonitum, et quae murmura terris
dant spelaea procul, quassatave concitat arbor.
et cum iam medio ventus sub sidere cancri
aequassetque sinus, et certo flamine longos
spiraret sine fine dies, tranquilla per alta
indeclinatum fallax servare tenorem;
ille super navim, tarde volventibus horis,
perditus impendere, fatigarique tuendo.
nec, dum caerulei fluctus et rosida circum
spuma relucebant mentemque haud absona ponti
ludebat species variique coloris imago,
non iuvenem fallebat amor suus: inde sub unda
ipse suis montes oculis, pascentia cernit
alta iugis armenta, domos arbustaque laeta,
pastorumque manum, glauco quos velat amictu
palla, decus puero quondam et gestamen in agris.

R. E.

921 *Fresh as the month and as the morning fair*

INTEGRA ceu mensis, forma ceu mane decora
visa ibi pendentis umeris demittere crines;
vitta comas nexas religarat; cetera ludit
libera caesaries, zephyroque proterva movetur.
vix noctem exoriens radiis aurora fugarat,
iamque rubescebat per caelum purpura lucis;
illa petit callis horti, quam frigore ducit
grata dies hilarem gressu passimque vagantem,
ut virgo meritos Maio bene solvat honores.
qua via se flectit, pede constitit usque parumper,
iamque inter spinas dextram, quae lilia vincit,
inicit inde rosam carpens; quamcumque rosarum
deligit, ecce agitat calamum rorisque liquorem
discutit; et varios diverso flore colores
iungit ibi miscens cum rubris candida quaeque,
scilicet ut rutilam nectat sibi fronte coronam.
qua texta liquido fundit melos ore canorum,
caelestes hominesque iuvans dulcedine vocis;
miratur philomela tacetque oblita modorum,
docta melos quo iam veris gratetur honori.

J. G. L.

924 *AVIVM CONVBIA*

SCIT thalamo servare fidem sanctasque veretur
conubi leges; non illum in pectore candor
sollicitat niveus, neque pravum accendit amorem
splendida lanugo vel honesta in vertice crista
purpureusve nitor pennarum; ast agmina late
feminea explorat cautus, maculasque requirit
cognatas paribusque interlita corpora guttis:
ni faceret, pictis silvam circum undique monstris
confusam aspiceres volgo partusque biformes
et genus ambiguum et veneris monimenta nefandae.

hinc merula in nigro se oblectat nigra marito,
hinc socium lasciva petit philomela canorum,
agnoscitque pares sonitus, hinc noctua tetram
canitiem alarum et glaucos miratur ocellos.
nempe sibi semper constat crescitque quotannis
lucida progenies, castos confessa parentes;
dum viridis inter saltus lucosque sonoros
vere novo exultat, plumasque decora iuventus
explicat ad solem patriisque coloribus ardet.

IOSEPHVS ADDISON, *A. S.* 1712

925 *Extol not riches then, the toil of fools*

NE mihi divitias, stultus quibus incubet, effer:
his premitur sapiens aut fallitur: aptius ergo
virtutem tardare aurum et contundere quam quod
urgeat ut praeclara paret merituraque laudem:
ast ego si gazam et latis dominarier oris
aspernor pariter, non hoc quia regius orbis,
aureus aspectu, spinis tamen imprimat ora,
dura pericla ferens curam atque insomnia noctis
huic qui regali cingit diademate frontem
impositumque umeris onus urbis sustinet omne:
scilicet hic constant praestent quae debita reges;
hinc honor hinc virtus merita et laus optima totam
si modo pro populo curam geret unus;—at ille
rex magis est qui seque regit trepidosque tumultus
mentis, quaeque timet vel quae desiderat: illam
qui sapiunt, qui deinde boni tetigere coronam.
hanc nisi contigerit, male quis speraverit urbes
totas frenare aut in sanum ducere volgus.

C. S.

927 *Nor less at hand the loosened tempest reigns*

QVIN prope missa furit tempestas; intonat ictu
mons crebro; scopulosque nemus quos frondibus
umbrat

nutat ad usque imos: luctanti flamine fessus,
solus in ignota dum scandit rupe, viator
per mediam noctem pedibus labentibus aegre
praeruptum prorepit iter. radicibus alte
fixa solo trepidat silva et quod restat honorum
excutitur, ramique iacent et membra furore
adsiduo venti disiecta inlisaque terrae.
turbine sic diro luctata procella ruinas
per nemorum in campos rapitur, stipulaeque casarum
aedibus et regum incumbens conquassat ad ima
fundamenta: fugit perterrita lumina somnus.
introitum at quaerens circum titubantia tecta
exululat saevos rapido cum vortice ventus.
tempore non alio perhibent ex aethere toto
audiri gemitus, suspiriaque acre dolentum
stridoresque procul, Genius quos noctis, ut atrum
intentent maerorem et fata instantia, mittit.

W. S. W.

931 *VINDEMIA*

FAS modo praecipites animos raptimque volantem
detorquere rotam. iuvat aspectare feracem
tellurem et nitidos immenso limite campos;
sicubi turgescens vindemia sole potenti
in maius coquitur, fulgetque sub aetheris auras
ima valle cubans, seu se iuga fundit in alta
rupem ex rupe petens apricaque saxa, neque ignis
non bibit usque novos. oneri succumbere ramum
mireris; videas nitidos sub fronde racemos
aut vidisse putes: hos inficit igneus ardor
seu perlucida lux. albo maturior hora
rore notat, rapidusque tepet crescentibus umor.
at suco simul exaucto bona munera bacchi
misceri ad solem et melius sapere insitor intus
senserit, en patulis exultans undique campis

pagus adest puerique hilaris sociaeque puellae;
qui sibi pollentem autumnum per mutua dona
certatim populant, messis notissimus index.
mox et calcaturus adest vindemitor: agros
spumare et presso videas fluere undique musto;
illud, ubi tumidum sensim decoxerit hora,
sufficiet laetos calices mortalibus aegris.

H. C. G. M.

934 *CHLOE VENATRIX*

FORTE Chloe pulchros nodo collecta capillos
post collum, pharetraque latus succincta decora
venatrix ad silvam ibat; cervomque secuta
elapsum visu deserta per avia tendit
incerta. errantem nympham conspexit Apollo,
et 'converte tuos' dixit, 'mea Cynthia, cursus;
en ibi' (monstravitque manu) 'tibi cervos anhelat
occultus dumo latebrisque moratur in illis.'
improbus haec audivit Amor lepidumque cachinnum
attollens 'poterantne etiam tua numina falli?
hinc quaeso, bone Phoebe, tuam dignosce sororem
et melius venerare meam. tua Cynthia longe
Maeandri ad ripas aut summi in vertice Latmi
versatur; nostra est soror haec, nostra' inquit 'amicast:
haec nostros promit calamos arcumque sonantem
incurvat, Tamumque colens placidosque recessus
lucorum quos alma quies sacravit amori.
ite per umbrosos saltus, lustrisque vel aprum
excutite horrentem setis cervomve fugacem,
tuque sororque tua, et directo sternite ferro:
nobilior labor et divis dignissima cura
meque Chloenque manet; nos corda humana ferimus
vibrantis certum volnus nec inutile telum.'

VINCENTIVS BOURNE, *A. S.* 1721

938 *DAEMONVM CONCILIVM*

AC veluti, cum vere novo sol commoda signans
tempora sidonii ingreditur confinia tauri,
fundit apum condensa acies se rosida circum
prata vel in levi tabula pro maenibus urbis
stramineae, trepidae rerum cautaeque futuri,
prospectant animo venientis casibus anni:
non alia est turbae aëriae volitantis imago,
tot numero coeunt, tam denso examine fervent
impediuntque viam; donec (mirabile visu),
quot prius extenta superabant mole gigantes
terrigenas, minui extemplo iam iamque videri
Pygmaeis similes aut pumilionibus istis,
quorum nocturnos lusus viridaria propter
forte domum referens multa se nocte colonus
aut videt aut vidisse putat, dum pallida sensim
Cynthia fertur equis labens terraeque propinquat.
illi saltando pariter pariterque canendo
exaequant nocti lusus, pariterque tuenti
exultat mixtaque tremit formidine pectus.

T. POWER, *A. S.* 1691

II

AC veluti, quum solis equos accepit anhelos
taurus, apesque novo iam prima examina vere
emisere favis pendentia more racemi;
illae inter flores ac prata recentia rore
huc illuc volitant, tabulis aut levibus ante
stramineas arces primo iam melle madentis
expatiantur et in medium consulta reponunt.
haud secus aëriae densantur in agmina turmae;
inde datum accipiunt signum, et (mirabile dictu),
quorum magni artus et membra immania nuper
visa giganteam telluris vincere prolem,

innumerae angustis spatiis stipantur, ut illa
gens pygmaea olim super indos accola montes;
naiadumve chori graciles, parvaeque napaeae,
quarum forte iocos media sub nocte colonus
fontis aquam prope vel serus sub tegmine luci
aut videt aut vidisse putat; super arbitra caelo
luna sedens propior terrae deductaque ab alto
pallentis invertit equos; choreisque iocisque
gens intenta aures divino carmine mulcet:
olli mixta metu pertemptant gaudia pectus.

J. G. L.

III

SICUT apum, cum vere novo per cornua tauri
Phoebus agit currum, cellis effusa iuventus
circum se glomerant; flores roremque recentem
hae lustrant, tabula placet his insidere levi;
(ille suburbanus redolens lita balsama campus
stramineae patet extructis sub maenibus arcis;)
hic crebrae spatiantur et urbis munera tractant.
haud secus aëriae coeunt examina turbae
arta globo; donec dicto (mirabile) signo,
corpore terrigenas, immania monstra, gigantas
qui modo vicerunt, angusto membra minuti
densantur spatio innumeri: qualem indica gentem
trans iuga pygmaeam memorant qualesve per herbam
bacchantis noctu lemures in margine silvae
rusticus aut ad fontis aquas erroribus actus
aut videt aut vidisse putat: sedet arbitra supra
pallida luna rota terris propiore; sed illa
interea ludisque chorisque operata caterva
allectam laetis mulcent concentibus aurem.
gaudia cor versant dubio mixtique pavores.

W. C. G.

IV

QVALIS apum, solis primo cum vere recepit
taurus equos, fervet stabulis emissa iuventus
textilibus: flores et prata recentia rore
perlustrant aliae, tum levi in limine tecti
stramineae ad portas arcis casiaque thymoque
halantis aliae coeunt et publica tractant.
tales aëriae conferto examine turbae
in caveam fluere angustam, dum voce tubarum
audita, qui terrigenas superare gigantes
ante videbantur, (mirum) nunc prole minores
exigua innumeri spatiis glomerantur in artis,
gens veluti pygmaea olim sub montibus indis,
nympharumve levis media quas nocte cohortes
propter aquae rivom nemorisve umbracula pastor
aut videt aut vidisse putat, dum luna superne
arbitra iam propior terrae se pallida flectit:
illae laetitia captae studioque choreae
adliciunt aures iucundis cantibus: una
et metus et laetam pertemptant gaudia mentem.

W. R.

940 *MYCERINVS*

DIXERAT accensusque animis fastuque superbus:
qui magna excipitur maerentum voce suorum,
magna admirantum. nec plura locutus in uno
deserit optutu haerentis, breviterque moratus
lascivo stipante choro vestigia flexit
in nemus umbriferum placitaque sub arbore frigus.
illic ad ripas fluvii in palmeta meabat
addita palmetis, dryadum felicia regna,
quorum leve nitent in solem culmina, at infra
sole caret gemmatam abdens se truncus in herbam.

possit ibi sopita semel ferventior aetas
fallere dum teritur; laetus velit error ibidem
ire diem quam longus, et haud taederet eundi.
huc epulas rite instaurans rex flore rosarum
mane coronatus veniebat; at usque serenas
centum elucebant Phoebo vergente per umbras
perpetuis lychni ramis, quibus omne micabat
hinc illinc nemus et festis laeta orgia mensis;
at ferrugineo rutilantes desuper auro
lunae intercipiunt frondes argentea tela.

R. C. J.

942 *CERVI VENATIO*

CERVOS et umbrarum dominus qua corniger olim
incedebat ovans, nunc ipse instante procella
armento fugit exemptus. primum avolat audax
cursu confisus celeri: timor urget euntem,
inque fugam aërios animos dat totus et auras
fertur in adversas, si vox hominumque canumque
letalis spatio veniat minor interiecto,
incassum nitens: ventis licet ocior ipsis,
cum gelidos verrunt aquilonis flamina montes,
per dumeta ruat, saltus micet inter apertos
et nemorum condat tenebris caput; improba pone
turba subit lentoque legens vestigia cursu
certa tamen semper sectatur odora, latebrisque
excitat umbrosis et fraudes explicat omnis.
silvas ille iterat totas, notosque tuetur
multa gemens placido ridentis lumine saltus,
proelia lasciva qua nuper fronte protervos
miscebat sociis aut indulgebat amori.

C. B. S.

945 *MESSIAE ADVENTVS*

[TOLLITE concentum, Solimaeae tollite nymphae!
nil mortale loquor; caelum mihi carminis alti
materies; poscunt gravius caelestia plectrum.
muscosi fontes, silvestria tecta valete,
aonidesque deae et mendacis somnia Pindi:
tu mihi, qui flamma movisti pectora sancti
siderea Isaiae, dignos accende furores!]
Immatura calens rapitur per saecula vates
sic orsus: 'qualis rerum mihi nascitur ordo!
virgo, virgo parit! felix radicibus arbor
surget iessaeis, mulcentisque aethera flores
caelestes lambunt animae, ramisque columba
nuntia sacra Dei plaudentibus insidet alis.
nectareos rores alimentaque mitia caelum
praebeat et tacite fecundos irriget imbris.
huc, foedat quos lepra, urit quos febris, adeste,
dia salutares spirant medicamina rami;
hic requies fessis; non sacra saevit in umbra
vis boreae gelida aut rapidi violentia solis:
irrita vanescent priscae vestigia fraudis
iustitiaeque manus pretio intemerata bilancem
attollet reducis; bellis praetendet olivas
compositis pax alma suas, terrasque revisens
sedatas niveo virtus lucebit amictu:
volvantur celeres anni! lux purpuret ortum
expectata diu! naturae claustra refringens
nascere, magne puer! tibi primas ecce corollas
deproperat tellus, fundit tibi munera, quidquid
carpit Arabs, hortis quidquid frondescit eois.
altius en Lebanon gaudentia culmina tollit,
en summo exultant nutantis vertice silvae.
mittit aromaticas vallis saronica nubes,
et iuga Carmeli recreant fragrantia caelum.

946 Deserti laeta mollescunt aspera voce;
auditur 'Deus! ecce Deus!'; reboantia circum
saxa sonant 'Deus; ecce Deus;' deflectitur aether,
demissumque Deum tellus capit; ardua cedrus,
gloria silvarum, dominum inclinata salutet.
surgite convallis, tumidi subsidite montes!
sternite saxa viam, rapidi discedite fluctus:
en, quem turba diu cecinerunt enthea, vates
en salvator adest; voltus agnoscite caeci
divinos, surdas sacra vox permulceat auris.
Ille cutim spissam visus hebetare videbit,
reclusisque oculis infundet amabile lumen;
obstrictasque diu linguas in carmina solvet.
Ille vias vocis pandet, flexusque liquentis
harmoniae purgata novos mirabitur auris.
accrescunt teneris tactu nova robora nervis:
consuetus fulcro innixus reptare bacilli
nunc saltu capreas, nunc cursu provocat euros.
non planctus, non maesta sonant suspiria; pectus
singultans mulcet: lacrimantis terget ocellos.
vincla coercebunt luctantem adamantina mortem,
aeternoque Orci dominator volnere languens
invalidi raptor sceptri plorabit honores.
947 Ut quą dulce sonant scatebrae, qua laeta virescunt
pascua, qua blandum spirat mollissimus aër,
pastor agit pecudes, teneros modo suscipit agnos
et gremio fotis selectas porrigit herbas,
amissas modo quaerit oves revocatque vagantis;
fidus adest custos, seu nox furat horrida nimbis
sive dies medius morientia torreat arva.
postera sic pastor divinus saecla beabit,
et curas felix patrias testabitur orbis.
non ultra infestis concurrent agmina signis,
hostiles òculis flammas iaculantia torvis:
non litui accendent bellum, non campus aënis

triste coruscabit radiis; dabit hasta recusa
vomerem, et in falcem rigidus curvabitur ensis.
atria, pacis opus, surgent, finemque caduci
natus ad optatum perducet coepta parentis,
qui duxit sulcos, illi feret area messem,
et serae texent vitis umbracula proli.

948 Attoniti dumeta vident inculta coloni
suave rubere rosis, sitientesque inter harenas
garrula mirantur salientis murmura rivi.
per saxa, ignivomi nuper spelaea draconis,
canna viret iuncique tremit variabilis umbra.
horruit implexo qua vallis sente, figurae
surgit amans abies teretis buxique sequaces
artificis frondent dextrae: palmisque rubeta
aspera, odoratae cedunt mala gramina myrto.
per valles sociata lupo lasciviet agna,
cumque leone petet tutus praesepe iuvencus.
florea mansuetae petulantis vincula tigri
per ludum pueri inicient, et fessa colubri
membra viatoris recreabunt frigore linguae.
serpentes teneris nil iam letale micantis
tractabit palmis infans motusque trisulcae
ridebit linguae innocuos, squamasque virentes
aureaque admirans rutilantis fulgura cristae.

949 Indue reginam, turritae frontis honores
tolle Salema sacros, quam circum gloria pennas
explicat incinctam radiatae luce tiarae!
en! formosa tibi spatiosa per atria proles
ordinibus surgit densis, vitamque requirit
impatiens lenteque fluentis increpat annos.
ecce peregrinis fervent tua limina turbis;
barbarus en! clarum divino lumine templum
ingreditur, cultuque tuo mansuescere gaudet.
cinnameos cumulos, nabathaei munera veris,
ecce adolent genibus tritae regalibus arae!

solis ophyraeis crudum tibi montibus aurum
maturant radii: tibi balsama sudat Idume.
aetheris en portas sacro fulgore micantes
caelicolae pandunt, torrentisque aurea lucis
flumina prorumpunt: non posthac sole rubescet
India nascenti, placidaeve argentea noctis
luna vices revehet; radios pater ipse diei
proferet archetypos: caelestis gaudia lucis
ipso fonte bibes, quae circumfusa beatam
regiam inundabit nullis cessura tenebris.
litora deficiens arentia deseret aequor;
sidera fumabunt, diro labefacta tremore
saxa cadent, solidique liquescent robora montis:
tu secura tamen confusa elementa videbis,
laetaque Messia semper dominabere rege
pollicitis firmata Dei, stabilita ruinis.

SAMUEL JOHNSON, *A. S.* 1783

950 *IN VITAM HOMINIS*

UT flos mane novo decus explicat omne, diei
deliciae fragilis, et primo vespere marcet;
nos itidem: eois ut concitus eurus ab oris
aequora summa fuga verrit tacitoque recumbit
litore; ut in stipulis volitans crepitantibus ignis;
ut saxum in praeceps declivi a monte volutum
se rapit; ut sudum iaculata per aethera flamma,
sic sic vita fugit; quin bullula rupta brevisque
fabula et umbra levis ventosaque somnia velox
aetatis referunt iter. hei mihi sicine vita
transit et aeternum mors sese extendet in aevom?
reliquiaene hominis redivivae vincula somni
excutiant? leto pateat nova ianua vitae?
num dormit, paulum adsueto fugiente vigore,
at leto haud penitus devictum exsangue cadaver;

dumque artus vitae iam functos munere carpet
ignis edax vermesve aut tempora lenta, vigebit
usque eadem vivax anima et data gaudia laeto
gustabit sensu horrescetque adfecta dolore?

G. DOBSON, *A. S.* 1734

960 *PLORAT DESERTVS AMATOR*

PASTORUM deus heu fugit, Meliboee, sub umbras,
ille mihi, valeam siquid in arte, dedit:
cunctorum princeps (nec quisquam proximus illi),
quot sub Amore usquam signa tulere duce.
noverat ille puer dulcis excudere questus,
nec laeso medicam non adhibere manum:
saepe thymum (memini) circa carpentibus haedis
iucundum nobis fudit ab ore melos.
mortuus ille tamen gelido dedit ossa sepulchro,
cur precor innocuo, mors, nocuisse iuvat?
cantandi decus illud abit, caret arte magistra
orbis, at en! tanti nominis umbra manet:
cuius si qua mihi sancto de fonte leporum
fluxerit ulla meos quae riget unda modos,
saepe meum saltus luctum resonare docebo,
me lacrimante madens conlacrimare nemus.

J. Y. S.

968 *THEA SATVRNVM ADLOQVITVR*

Εἰ' ἆρον ὄμματ', ὦ φίλον Κρόνου κάρα·
καίτοι τί φωνῶ; σοὶ γὰρ οὐδ' ἔχω μίαν,
γέρον, παλαιῶν ἀλγέων παραψυχήν.
οὐκ ἔστιν εἰπεῖν 'τοῦ χάριν βρίζεις ἔτι;'
διοίχεται γάρ σ' οὐρανός· θεὸν δέ σε
ὦδ' ὄντ' ἄτιμον ἀγνοεῖ γαίας πέδον,

σκήπτρου δὲ σοῦ χὼ μυρίος πόντου στόνος
ἠλεγθέρωται· πᾶς δ' ὑπερθ' ὀδύρεται
αἰθὴρ κενωθεὶς σοῦ παλαιφάτου κλέους.
βροντὴ δὲ καινῶν ἀρχετῶν ἠσθημένη
πεπτωκότων ἄκους ὑπὲρ δόμων βρέμει.
χεῖρες δ' ἄπειροι σὸν κραδαίνουσαι βέλος
αἴθουσι τοὺς πρὶν ἡσυχάζοντας γύας
φλογεροῖσι πυρσοῖς· ὦ δύαι πανήμεροι,
ἶσαι δ' ἐτείοις ἄλγεσιν στιγμαὶ χρόνου,
πᾶσαι τὸ δεινὸν διάδοχοι κηρύσσετε,
πᾶσαι τὸν ὄγκον δυσφόρων ἤδη πόνων
βαρύνεθ' οὕτως, ὥστ' ἀκοιμήτῳ φρενὶ
οὐδεὶς ἔτ' ἔστιν οὐδ' ἀπιστίας τόπος.
εὔδοις ἄν, ὦναξ· ὦ κακῶς δύσνουν ἐμέ,
ἢ γ' ὧδ' ἔπαυσα νηνέμου σ' ἐρημίας
τί σοὶ διοίξω βλέφαρα τοῖσδ' ἐν ἄλγεσιν,
εὔδοις ἄν· αὐτὴ δ' ἐν ποσὶν δακρυρροῶ.

F. H.*

972 *PANDEMONIVM*

ECCE autem e terra dictu mirabile monstrum,
dum vario voces modulamine dulce sonabant,
ceu vapor ignitus paulatim fabrica surgit;
inque modum templi spatiis ingentibus extat.
stant circum solido ex auro, decora alta, columnae:
effulgent crasso laquearia fulta metallo,
ipsa etiam caelata auro: animata putares
maenia, sic vivas simulat sculptura figuras.
non Babylon, tales olim non aemula Memphis
exaequabat opes: siquando inferre parabant
aut reges solio aut divis immania templa
ponebant Belo tandem inventoque Serapi.
haec molis structura fuit: subitoque fragore
pandunt se aerato stridentis cardine valvae.

apparent intus spatia ampla et vasta patescunt
atria: dependent magica laquearibus arte
incensi lychni, multoque bitumine pasti
scintillant, veluti stellarum argenteus ordo.

M. BOLD, *A. S.* 1702

II

ECCE ingens visu mox edita fertur ad auras,
ceu matutini vix orto sole vapores,
fabrica et ad strepitum citharae et discrimina vocum
in templi speciem summa ad fastigia surgit:
stant duplici versu supraque infraque columnae
complexae medios sinuosis flexibus arcus,
auro omnes solido innexae: laqueata renident
tecta auro: non haec opulenta Aegyptus et ingens
Assyria aequarint cultu, seu regibus aulam
utraque certatim seu divis struxerit aedem.
mox valvae biforis operoso ex aere reclusae
transmittunt spatio longe lateque patenti
leve pavimentum manifesta luce videndum.
nam disposti intus sua per discrimina lychni
pendentis, quos naptha aluit quos pingue bitumen,
extulerant sese vix caeli luce minores.

T. POWER, *A. S.* 1691

973 *Alas, what boots it with incessant care*

QVID iuvat heu spreti pastoris vilia curis
munera perpetuis implere diuque canendo
ingratis operam vigili dare mente Camenis?
nonne fuit satius (sic cetera turba) sub umbris
cum facili arboreis Amaryllide ludere? crines
solvere compositos, fusos religare, Neaerae?
fama animis victrix subdit calcaria magnis,

(scilicet haec animist labes suprema merentis),
deliciis detur spretis ut vita labori.
at spe capturis iam iam nova praemia facti,
fulsurisque novo totum splendore per orbem,
en ibi capta oculis nos invida ludit Erinnys
et tenuem scindit scelerata forfice vitam.
'at non et laudem scindit' me Cynthius aure
admonuit tremulum vulsa 'non umida frugum
fert genetrix famam nec splendida bractea cunctis
commendat, non usque satis rumoribus illa
exoritur: vitam capit incrementaque puris
ipsius ex oculis et casta voce Tonantis,
quem res nulla fugit, qui qua ratione supremum
decrerit, tantum speraveris aethere laudis.'

A. H. W.

II

* * * * * *

FAMA animos claros motis calcaribus urget
(ultimus exuitur magnis qui mentibus error)
spernere delicias, operosam et degere vitam:
at cum iam pulchra spes est mercede potiri
et subito fulgore oculos praestringere, Erinnys
caeca venit vitaeque secat subtilia fila
forfice crudeli: 'sed non tamen' inquit Apollo
'continuo et laudem;' tremulas et contigit auris.
'laus non, arbor uti, mortali innascitur agro,
non, ut gemma micans quam lucida bractea adornat,
illa oculos fallit; non in rumoribus amplis
vivit: at in caelo superas tenet aurea sedes
fama expers leti, puris et diditur astris
perfecto Iovis arbitrio qui cuncta gubernat:
ut tandem is vitae sortem pronuntiat aequam,
sic famae in caelo justa mercede fruendumst.'

G. B.

993 *In that fair clime the lonely herdsman stretched*

QVA procul illa iacens regio pulcherrima ridet,
pastor ibi solus prostratus gramine molli
aestivae partem demebat saepe diei
dimidiam, ignavo demulcens otia cantu:
quem si forte olim fessum cessare liberet
carminibus calamique anima, procul audiit ille
dulcisonos numeros vincentis arte camenam
quam rudis ipse dabat: sic mentis inania fingit
somnia, ut ardorem solis currumque relinquat
imberbis iuvenis, testudinis aurea tangens
fila, nemusque nova luce et dulcedine complens.
nocturnus nitidum tollens venator ocellum
crescentem grato miratur pectore lunam,
imploratque vagam precibus, quae lumine pulchro
opportuna venit, studio ut se iungere laeto
dignetur sociam: hinc subito dea lucida nymphis
fit comitata, nemusque nigrum saltumque peragrat
non sine dulcisonis numeris, quos rupe cavisque
speluncis echo ingeminat, dum praeterit acri
Cynthia venatu ceu tempestatibus acta:
luna velut stellaeque micant per nubila caeli
praetereuntque citae, cum perfurit impetus austri.

J. G. L.

998 *When the gay sun first breaks the shades of night*

UT primum nitidus nocturnas dispulit umbras
sol procul irradians eoa cacumina collis,
purpureus redit ecce color campique virescunt
veste sua ridetque annus; tum florea passim
germina se pandunt pulchraque ardentia forma
emicuere; greges ibi lactea tegmina monstrant
lanarum; sterilis candenti fronte minantur
in caelum scopuli, et late porrectus in arcum
lumine caeruleo purus diffunditur aether.

mox ubi nox tristis redit imperiumque vicissim
excipit, exuitur languescens fastus, et omnis
flens natura dolet, solitum neque iactat honorem
silva sed amissam lacrimoso rore videtur
et desiderio formam plorare, neque ulla
visa tibi species oculos procul allicit acris,
omniaque obducto noctis velamine torpent.
nec tamen, ut tenebrae occultant caligine terram,
cuncta tibi latuere, reclusaque signa videbis
quae manus omnipotens posuit; non milia circum
stellarum in caeli lata fornice refulgent,
iamque novas infinito miraberis orbe
suspendi luces; et luna argentea lectum
hesperium liquit nocturnoque aethera curru
rite peragravit, radios vi solis et ictum
propulsans solidoque globo, et, quae mutua sumpsit
lumina, sic terris haud mendax reddere curat.

J. G. L.

1000 *He looked and saw wide territory spread*

CONTINUO immensa ditione patentia regna
aspectat, celebrisque urbes commixtaque rura,
eductas caelo turres portasque superbas,
concursusque feros faciesque horrenda minatas
bella, giganteae prolis magna ossa animosque
audentes. pars tela vibrant; pars effera frenis
ora premunt spumantis equi; mora nulla, ruentis
hinc equites peditesque aut concurrere viro vir
cominus aut densas acie explicuere cohortes
haud bello ignavas. ast hinc delecta virorum
agmina de pratis armenta recentibus urgent
bucera, praestantis tauros nitidasque iuvencas,
lanigerumque pecus, querulos cum matribus agnos.
custodes fugere anima trepidante, cientque

auxilia attoniti; pugna inde cruenta; feroces
confligunt saevo inter se certamine turmae:
qua pastae nuper pecudes, nunc squalida tabo
horret ubique armis multoque cadavere tellus
heu late deserta. arcem opsidione superbam
circumdant alii in castris atque ariete crebro
oppugnant, scalisque petunt tacitisve fodinis.

G. DOBSON, *A. S.* 1750

II

PROSPECTAT patulas prae se consurgere terras,
oppida munda locis interque nitentia culta,
tum populorum urbes portis ac turribus altas,
atque acies atque arma atque ora minantia bellum,
ingentisque animos, ingentia membra gigantum.
pars versat clipeos manibus, pars ora frementum
frenat equom: ante alios ductor se primus agebat;
tum directae equitum turmae peditumque cohortes,
nec cessaturae steterant: hac lecta iuventus
aut armentum abigit tauros pinguesque iuvencas
pinguibus a pratis; aut cum balantibus agnis
lanigeras matres praedamque per aequor opimam
avertit; vix incolumes fugere bubulci
auxilioque vocant socios: subit aspera pugna:
turmatim in creperum certamen cominus itur;
pascebantur ubi pecudes, nunc squalida tabo
corporibusque armisque iacentibus arva putrescunt
desolata. tenent alii opsidione valentem
urbem opibus: scalae admotae: tremit ariete murus;
fit via tecta; alii sese defendere ab arce
missilibus telis; crebrescunt saxa facesque:
surgit utrinque gravis caedes titaniaque ausa.

T. S. E.

1005 *Slowly they sail, slowly as icy isle*

REMIGIO ergo illi tardo, velut insula quondam
tranquillo glacialis in aequore tarda vagatur.
interea maestum deludunt somnia: caeli
ecce pavimento spatiari, et verba videtur
numinibus conferre deum fraterna: superbis
e palma alitibus Iunonis carpere micas
triticeas placuisse: auratum et Apollinis arcum
ipse manu tractare, et mala exquirere quanam
aurea nascantur: clipeumque aptare lacerto
palladium loris: nec posse aut sede movere
aut torquere Iovis summo molimine fulmen.
iucundam inde Heben cyathum quem vina coronent
promere; tum cantuque et pernici pede motam
adlicere et fraudare diu: mox vina bibisse
sternique ante pedes victus dulcedine, et ipsis
oscula sidereis stupefactus figere palmis;
inde tuba sonuisse, et protinus insuper agmen
aetherium cerni: partes ibi quattuor anni,
Ver viridis indutum herbas, Aestatis et uber
luxurians, fruges Autumni falce coactas
auratas, Hiememque gelu quae caneat Horis
cum levibus sociare choros, dum plenior auris
continuis vox aucta nihil decrescat, at usque
dirigat implicitas motu fluitante choreas.

D. C. R.

1018 *Forsake me not thus, Adam! witness Heaven*

A! ne me coniunx, ne desere! conscia testor
sidera, te quanto fervens complectar amore,
quo venerer studio. funestum errore sinistro
admisi male cauta nefas: en supplice voce
sollicitans genua amplector: ne rebus in artis
consilii iucunda tui iam surripe durus

munera, ne placidos voltus mihi surripe, solas
delicias vitae et curarum dulce levamen.
o ubi te viduata ferar, quae denique quaeram
auxilia? at saltem dum vivimus (et brevis aevom
fors hora absolvet) pacem foveamus amicam.
coniungant animi, quos saeva iniuria iunxit;
et nobis decretum astris crudelibus hostem
ambo insectemur socio simul impete, dirum
serpentem. ne deinde tuis ob tristia damna
exerceto odiis nimia me clade gravatam,
me luctu obpressam gemino: peccavimus ambo:
at solum tibi noxa Deum, mihi teque Deumque
reddidit infensos. quin protinus ipsa tremendas
iudicii repetam sedes, precibusque lacessam
perpetuis Ipsum, gravis ut te sospite poena
in me adeo causamque tui fontemque doloris
vota cadat; me, me dignam illius omnibus iris.

G. DOBSON, *A. S.* 1750

1025 *And either tropic now 'gan thunder*

IAMQVE poli simul hic vertex, simul ille remugit;
eurique zephyrique tonat domus. undique ruptae
praecipitant nubes rimis immanibus imbrem
fulgure cum rutilo, flammae grave foedus et undae
in furias concors. nec dura per antra silebant
flamina; prorumpunt lateque a quattuor orbis
cardinibus bacchata ruunt in sola locorum:
illa tremunt concussa. illic in sidera culmen
pinus agens, radicem in tartara, duraque quercus
aut rigidum flecti caput incumbentibus austris
aut ima cum stirpe rapi. tunc una tegebat,
Nate Deo, tua te virtus ex omnibus unum
scilicet immotum. nec vero ea meta minarum:
iamque orci lemures, iam te Stygis impia turba

1025 Graece redditum habes Vol II p. 419 § 80

cingebant furiae: pars rauca ululatibus instat,
pars acri clamore ferox, pars ignea tendens
spicula: tu sancta tranquillus pace sedebas.
noctis eae pestes, donec dea candida lucis
fert habitu canente pedem votiva viatrix;
nec mora, quin murmur digito premat illa corusco
fulmineum, nubesque fuget sternatque procellas.

R. C. J.

II

INGEMINARE polus tonitru tum coepit uterque,
aetheris et fines sibi respondere vicissim:
orta quoque in nebulis patuit qua plurima rima,
imbribus immixtis, descendere fulgura caelo,
opposita et sese iunxere elementa ruina.
tum neque saxosis ventorum turba cavernis
dormiit, effusi sed passim e quattuor orbis
cardinibus multa lacerant vi squalida tesqua,
quam passa est abies ubi quaeque altissima, quamquam
in terram pariter tandem caelumque per altum,
et validae quercus saeva superante procella
summisere caput vel procubuere revolsae.
Te tenuis tum, Nate Deo, tutela tegebat,
solus at intrepidus stabas, maioraque dictis
terroresque novos patiens, nam sedibus imis
summissae furiae, simulacra infernaque circum
cinxere; hinc variis stridores vocibus, illinc
vagitus gemitusque, aliunde petentia tela
ignea te; sed enim mansisti interritus idem,
cum placida et nullius erat mens conscia culpae.

* * * * *

W. D.

1028 *MAERET NEGLECTVS AMATOR*

EFFETA o tellus, brumalis praeda furoris,
viva meae vitae occasum spectantis imago,
te modo multiplici florum discrimine pinxit

ver, tuaque asphodelis stellata superbiit aestas;
at iam nimbosae saevit violentia brumae,
quaeque triumphabat modo, iam tua purpura sordet.
pectore sub nostro rabies furit aemula brumae,
nam stupet in venis immiti frigore sanguis;
saevit et in nostram tempestas tanta carinam,
tamquam iam tremulos spectaret vita decembres:
vix tamen a! miserum florescere coeperat annus,
et tamen a! miserum mihi iam defloruit annus.
o vos umbroso nudatae tegmine quercus,
qua volucres vernos gaudebant texere nidos
nunc musco indutae canaeque horrore pruinae,
en, ubi vestra novo turgebant germina fetu,
bracchia conspicio lacrimis rorantia crebris,
pendulaque adstrictis glaciatur stiria guttis.
sic quoque, sic nostrae folia inconcussa iuventae
nunc flaccent, nimiis curarum exercita ventis:
en iam marcescit felix flos puberis aevi,
ustulat et canum mihi praecoqua germina frigus:
sic vitreis udus lacrimis irrorat ocellus,
pendet ut a vestris glacialis stiria ramis.

THEODORVS BATHURST, *A. S.* 1595

1029 *LIGNVM VITAE*

ECCE sub ingenti ramorum tegminis umbra
fons erat: hic nullo casu turbante serenum
perspicuis illimis aquis, et gramina circum
fundebant laetos vario de flore colores.
hunc circum innumerae gentes populique coibant,
quam varii generis sexus aetatis honoris
innuptae nuptaeque simul viduaeque nurusque
infantes puerique viri iuvenesque senesque:
hic ubi multigenis flexos incumbere pomis
cernebant ramos, avidis attingere dextris
gaudebant madidos caelesti nectare fructus.

nec prius hos poterant cupidis decerpere palmis,
quam lutulenta viae vestigia foeda prioris
detererent, corpusque pio de fonte lavarent.
saepe quidem multi renovatis mentibus aegros
restituere animos: et quae se posse negabant
pertulerant, fructumque sui cepere laboris.

1031 *Meanwhile the south-wind rose and with black wings*

INTEREA adsurgens nigris notus evolat alis,
tellurem late complexus, et aethere ab omni
miscet agens una nubes: alimenta ministrant
et madidas colles nebulas, fuscumque vaporem
summittunt: et iam densatus nubibus aër
instar nigrantis tecti stetit; inde furentis
praecipitantur aquae et rapidis ruit imbribus aether;
nec mora nec requies, donec sublata periret
ex oculis tellus. media sublimis in unda
apparet ratis exurgens, rostrataque prora
per summas equitabat aquas: alia omnia fluctus
vincit, et humanum fastum submersaque tecta
torquet agens penitus correpta sub aequore: pontus
volvitur in pontum, deerant quoque litora ponto;
regalisque domos inter, luxuque superba
atria iam pelagi monstra atque immania cete
exponunt fetus tantaque e stirpe relicta
nabat in exigua tabula domus una superstes.
quis tibi tum, genitor, cernenti talia sensus,
quosve dabas gemitus, talem ut contingere finem
ipse tuae soboli aspiceres atque omnia tristi
deleri exitio? te fluctus vicerat alter
suffusum lacrimarum undis saevoque dolore,
te quoque cum natis mergens: dum leniter ille,
qui comes astabat, te sustulit ipse iacentem
stare iubens pedibus, nulla at solacia menti

reddidit adflictae, ceu cum pater ingemit ictu
totam uno ante oculos cernens occumbere prolem.

J. G. L.

1032 *For that a branch cut off, a withered rod*

VOCE etenim missa redivivas trudere frondes
avolsum trunco ramum effetumque flagellum
an mirere magis, quam summi culmina clivi,
vi brumae spoliata altisque immersa pruinis,
milia vere novo diffundere milia florum
et reduces iactare comas aliumque virorem?
aethere diviso noctis redeuntibus umbris
ambrosios hominum gentem decerpere fructus
an mirere magis, solito quam pane recentis
ducere perpetuo languentia corpora vires;
et semen granumque, solo commissa fideli,
addere opes cumulis et multiplicata renasci;
quaeque manu parca modo sulcis sparsit arator
mox onerare solum laetasque effundere messes?
quae se cumque igitur dant sensibus obvia nostris,
seu volgata palam seu mira recondita rerum
legibus a fixis naturae sive solutis
proveniant, his perspectis id vincitur, omnem
effectum propriae deduci ab origine causae.
hinc certis gradibus se paulatim altius effert
et longae ascendens per nexum quemque catenae
surgit adhuc, donec cernat quandoque necessest
principium et fontem vitae, numenque supremum
quod stetit a primis et stabit in ultima saecla.

G. DOBSON, *A. S.* 1730

1035 *Now morn her rosy steps in the eastern clime*

IAMQVE dies roseis pedibus devectus in ortum
purpureis terram gemmis et rore serebat,

quum somno se excussit Adam, nam lenis ut aër
illi somnus erat blandisque vaporibus altus,
quam lymphae et rami crepitus quos ventilat eos
discuteret primaeque avium de fronde querellae:
quo magis obstipuit sopitam crinibus Evam
disiectis atque ora mala confusa quiete;
tum cubito innixus, voltu confessus amorem,
imminet huic tacitae captus dulcedine formae,
unde suae semper veneres, sua semper honestas
emicuit, seu nocte illam sopor altus haberet
seu vigil excussa procederet illa quiete,
tum dextra dextram attingens lenique, maritae
qualiter adspirat zephyrus, sic ore locutus;
'excute te somno, pulcherrima, sera benigni
dona Dei semperque recens dulcedine coniunx:
excute te; sol ecce vocat reparataque nocte
cura: dies iam primus abit; quin visis ut agro
surculus exoritur spirantque aviaria citris,
et quid odoratis ramis decussit arundo,
quid myrrha, ut varios pingit natura colores,
ut liquidum delibat apis de germine nectar?'

1037 *SORAVI MORS*

DIXERAT; adrisitque olli Soravus, et hastam
correptam lateri extraxit, si forte doloris
aegri leniret stimulos; at volnere aperto
manabat cruor, et cum flumine vita ruebat.
et iam pallentis, tactos iam labe, per artus
marmoreumque latus gelidi rubra iverat unda:
qualiter albentis violae amisere colorem
quas modo decerptas natalis gramine ripae
ludentes spargunt pueri, cum sole perustis
evocat e campis servom manus: ilicet olli
languescit caput et solvontur frigore membra;

membra carent motu et terrae iam marcida adhaerent,
clausi luce oculi; tantum suspiria tractim
cum paria ingenti percurrunt ilia pulsu
et nova vita viro incutitur, moribunda recondit
lumina et in patrios fixit languentia voltus.
iamque omnis vigor exierat, membrisque reluctans
umbra abiit, calidasque domos et maesta iuventam
deserit et flores et amoeni suavia mundi.

C. S.

1043 *They heard and were abashed and up they sprung*

ERUBUERE omnes atque ocius agmine facto
miscentur tracti late per inania: quales
excubiae, licet haud excussae lumina somno,
stare in procinctu simulant operique parant se,
ex improviso nequis cessantibus obstet:
nec vero immemores sortis coiere volando,
innumerae ceu pestis edax et tetra locustae,
Amramidae magni accitu, spirantibus euris
in pharios delata sinus et regna Canopi;
aëris in campo piceis exercitus alis
exultat late et caelum ferrugine texit:
sic animae tenuere fugam, stridentia pennis
agmina per liquidos ignes circumque supraque
supter et horrendum crepitantis: maximus ipse
dat signum ductor sublata protinus hasta
quo properent: illae pariter libramine iusto
in sola praecipitant et inundant aequore toto,
milia quot numquam boreas gelidique triones
caeruleo fudere sinu, quum barbara Rhenum
nunc acies nunc praedatrix transmitteret Istrum;
fusaque diluvii ritu procurreret ultra
herculeas Gadis Libyae ad torrentis harenas.

T. POWER, *A. S.* 1691

II

AGNOVERE ducis vocem cunctique repente
exiliunt: pudet ignavos potuisse videri:
ceu quondam excubias somno dux forte gravatas
neglecta statione videt atque increpat ultro;
his experrectis mentem timor et pudor ingens
praecipitant caecique ruunt, temere arma requirunt,
nec bene iam vigilant excussave pectore nox est,
nec tamen infandos non percepere dolores
ignarive quibus pressit sors dura malorum;
sed ducis imperio parent et iussa facessunt.
ac veluti Amramidae, quondam quassata per auras,
prodigiis ubi virga potens urgebat ab euro
protinus innumeras picea cum nube locustas:
illae regna super Pharaonis sontia pendent
noctis more: polus volucri subtexitur umbra:
miraturque novas tenebras gens accola Nili;
sic sese hi stygii librant sub fornice mundi
suspensi pennis: nigrae circum undique flammae
involvunt piceoque volutus turbine fumus:
donec mota ducis cursum expectantibus hasta
dirigit: inde omnes parili libramine lapsi
sulphure iam tandem solido campoque residunt
innumeri planumque ingens vasto agmine complent.
non tantam boreae quondam plaga frigida lumbis
effudit turbam rigidis transiret ut Istri
aut gelidas Rheni ripas, ubi barbara pubes
diluvii in morem tepidos defluxit ad austros
et Gadis infra lybicas penetravit harenas.

M. BOLD, *A. S.* 1702

III

AVDIERANT puduitque: alisque micantibus omnes
ocius exiliere; ut quondam nocte silenti

castrorum speculatores, si forte sopore
obpressos metuendi offenderit ira tribuni,
membra repente levant languentibus excita somnis:
nec vero immanis non persensere ruinae
pondera, nec gravium stimulis caruere laborum;
at voci ducis auscultant, mora nulla, ruuntque
innumeri; velut Amramidis cum virga, Canopi
litore vibrata infausto, per rura iuberet
ire locustarum nubem, quae urgentibus euris
densae instar noctis saevi Pharaonis in oras
venit et horrenda Nilum circumdedit umbra.
talis tartareorum acies densissima fratrum
ignem inter flammantem infra circumque supraque
suspendit tristi sub fornice lentius alas:
dum tandem magni cuspis sublata tyranni
quo flectant iter ostendit; tum praepete penna
aequato demissi una libramine terra
sidunt sulphurea et latum funduntur in agrum,
turba ingens, quantam haud olim glacialibus arctos
effudit lumbis, populorum maxima mater,
aut Rhenum super aut Istrum, cum barbara pubes
diluvii in morem tepidos undaret in austros
ipsam usque ad Calpen et Libyae sitientis harenas.

G. DOBSON, *A. S.* 1750

1046 *AD FORMAM*

O progenies pulcherrima caeli,
quo tibi sucorum tractu, calamique labore
divinos ducam voltus caelestiaque ora?
unde legam qui, diva, tuis certare colores
purpurei possint, discrimina daedala fuci?
ergo age, Musa, vago cursu per maxima mundi
i spatia: et quidquid formosi florida tellus,
quidquid habent maria et caeli spirabile lumen,

delibes: quidquid nitidum natura recondit
dives opum variarum, in amabile, Musa, fideli
confer opus studio. seu liberioribus alis
vis comite autumno per fortunata volare
Hesperidum nemora et dias Atlantidos auras,
dum quacumque pater fecundo pollice lucum
felicem contingit, opacis gratia ramis
fit nova et auricomo fulserunt limina fetu;
quacumque incessit per ditia rura, renident
undique maturo subiti livore racemi;
apricosque recens infecit purpura collis,
quales occiduo nubes quae sole coruscant.
sive errare velis rigua convalle per umbras
Daphnes dilectas, Peneus gurgite leni
qua fluit ostentatque reflexam e flumine Tempe
purpuream vitreo; Tempe, qua numina silvis
nota olim fauni nymphaeque per aurea prisci
saecula Saturni secreto in margine ripae
frondiferae socio ducebant Pane choreas
multiplices. at saltantum vestigia propter
horasque zephyrosque almos udo imbre videres
certatim ambrosios rores et odoriferum tus
depluere, Elysioque rubent quicumque colores.

THOMAS WARTON, *A. S.* 1802

II

QVA valeam tamen arte tuos effingere voltus,
progenies caeli clarissima? tale colorum
unde mihi decus ut roseos quot pandis honores
aemuler? eia igitur mundi per apertá, Camenae,
eia agite, egregias passim decerpite gazas,
si quid habet nitidi spoliantibus aurea tellus,
pulchro operi si quid Tethys, si Iuppiter addit
uvidus. an simul autumno ridente placebit

15

litora Atlanteo circumdata visere ponto,
hesperios una campos lustrare, feracem
mirari silvam, et ramus quo pullulet auro,
illius attingat modo dextera? ponat amico
ille solo plantas, teneros passim ecce racemos
purpureus vestire decor, collesque rubere
ceu vespertinum Titan cum pingit olympum.
anne vagam mavis plumam retinere, tenebras
natae ubi per claras vitreo Peneus in amne
Tempe compositus suavisque repercutit umbras?
Tempe silvicolis rite o carissima rura
numinibus Faunoque levi nymphisque protervis!
hic olim occultos, quando aurea floruit aetas,
margine in umbroso grandi cum Pane iuvabat
ludere; cum zephyris tenerae spirantibus horae
interea flores circum spirantiaque una
balsama, et ambrosios saltantibus undique rores,
veris et elysium primi effudere ruborem.

A. H.

1053 *'Tis earth shall lead destruction; she shall end*

EXITIUM incipiet tellus; erit huic quoque finis.
adsuetum quare non urgeat amplius orbem
sidera mirabuntur et undecimum attonitus sol
luciferi comitem coetus amittet; et orba
matrem luna petens, aeterno exercita cursu,
frustra aevom lustrabit inaccessumque profundum.
non aurora iterum sacro ex oriente resurgens
manabit plana croceum super aethera luce;
nec digitis prensans exilibus aëra vesper
telluris caput astrifero velabit amictu;
caerulei pedibus non amplius illa decoris
ornabit sublime poli. patet ecce sepulchrum:
sidera nocturna glomerantur condita palla
itque agmen nigrans: opus ingruit undique mortis.

ordine quaeque suo mundorum errantia passim
corpora, seu flammae peragunt revolubilis orbes
sive infinitos lucis ducentia tractus
aureo crine volant, tamen uno funere cernes
extingui. tunc principium sol luminis et fons,
sidereus caeli quo cardine volvitur axis,
ignibus ardebit sociis orbatus: et astra
quot stant innumeri gemmato in gramine rores
et quae circumeunt errantia cumque peribunt:
tum, quidquid mundis animarumst, fata petentis
debita discedent omnes:—mihi vita tibique
stabit caelestis luctu superantibus orbes.

A. A. V.

1054 *VIS MVSICES*

MUSA modis numerisque aequam servare docebit
te mentem, ne vel nimia spe turgida surgat
neu deiecta cadat; quod si cor ferveat intus
laetitia exultans, placida tibi voce camena
blanda susurrabit; seu cum tibi pectus iniqua
cura premat, vexatum hilari modulamine tollet.
at bellatores accendit carminis ira,
crudaque amatorum medicina vulnera sanat:
tum caput attollit Maeror; iamque excitus ipse
e lecto vigilat Morpheus; iunctosque lacertos
explicat et properat Socordia; si melos audit
invidia, ecce cadunt angues; civilia bella
deposuere truces animi, et discordia vecors
auscultans dulcem sonitum decepta quievit.
at cum nos patriae discrimen in arma vocavit,
nonne vides ut quemque cient lituique tubaeque?
sic ubi prima ratis pelago se credidit audax,
stans celsa in puppi numeros Rhodopeius Orpheus
effudit viditque Argo descendere latum
in mare, Peliaco cognatas vertice quercus:

semidei circum cantu stupuere, sonusque
virtute heroum inflavit mortalia corda,
tantus amor famae est laudisque arrecta cupido:
dux quisque explicuit clipei septemplicis orbem,
dimidiaque ensem detraxit parte nitentem;
et maria et rupes caelumque vocabat ad arma,
atque iterum reboans iterumque sonabat ad arma.

J. G. L.

1059 *EVAE AB ADAMO DIGRESSVS*

DIXERAT; atque manum subridens lene resolvit
coniugis amplexu; tum rustica qualis oreas
aut dryas aut comitum quae castam mille secuntur
Dianam, visu pulcherrima protinus umbras
silvarum petiit: diva praestantior ipsa
incessit voltus divino clara decore:
at non aurato cornu pharetraque Dianae
instructa, arma tulit quae non adiuta furente
Volcano rudis ars fecit largive dedere
caelicolae, frugumque his laetos continet hortos.
non aliter fecunda Pales Pomonave fulsit,
Pomona aufugiens Vertumni casta furorem,
flosve rubens Cereris quam nondum Iuppiter ulnis
foverat. at sponsam cupidis Adamus ocellis
cedentem sequitur gaudens, sed noluit Evam
cedere. nympha viro subridens saepe iubenti
maturum reditum totiens promisit adesse,
cum medio cursu sol frondes ureret aestu,
carumque Adamum dapibus lectoque paratis
allicere ad lautas epulas dulcemque quietem.
o nympha infelix, o spe fraudata fugaci,
non iterum gaudens (a sors infausta!) redisti,
non iterum dulcis epulae, non otia somni
frondentis hortos inter te, pulchra, manebant.

quale eheu monstrum flores umbraeque virentis
celarunt: odio tumidum tetroque veneno
ante pedes venit, misitque in coniugis ulnas
te nunc periuram nequam miseramque puellam.

T. M.

II

DIXERAT; atque manum palmis e coniugis artis
leniter expediens, gracili pede, qualis oreas
aut dryas aut quascumque regit dea Delia nymphas,
abdidit in silvas sese: sed dignior ipsa
incessit, similemque deae tulit ardua gestum.
argenteos non illa arcus nitidamve pharetram,
sed falcem gestans aut floribus utile quidquid
finxerat in cultum rudis ars et nescia flammae,
aut tulerant missi de caelo forte ministri.
his ornata Palem vel te, Pomona, petitam
Vertumni amplexu, aut Cereris matura puellae
tempora cum summi nondum Iovis oscula norat,
rettulit eximia specie: quam lumine coniunx
absentis minime patiens spectabat amanti
usque recedentem et propero permulta monebat
de reditu; adsensit mandatis omnibus uxor,
ante diem medium nexas reditura sub umbras
solemnis ut rite epulas et sera pararet
otia nec segni disponeret omnia cura.
o infausta nimis! nimis heu obnoxia fraudi!
spes tibi quo cecidit reditus? o invida fata!
abstulit ista dies hortorum gaudia: ploras
elysiasque dapes facilisque oblivia somni.

H. S.*

1060 *So spake our Morning Star then in his rise*

DIXIT et adsurgens sublimi fronte tuetur
avia camporum spatia undique et undique opacis
nubibus et stygio caligantem aëre terram:
quo flectat gressus? an inobservata viarum
incertus repetat vestigia, nullius ante
trita solo? sed ducit iter, comitantur euntem
curarum multae ambages habitantque sub alto
pectore praeteritaeque vices cursusque futuri:
quales deliciae blando sermone frequentum
posthabito taciti commendant otia ruris.
ille quater denos soles lustrarat olympo
surgere, sive diem condebat vertice in alto
sive per umbrosas valles: sed tempore noctis
ilice sub veteri duraverit an sub amica
quae rores capiti nocuos defenderet alno,
an specuum in latebris requieverit, audeat o quis
dicere? nulla famem suberant solacia victus,
nulla fames; dum post totidem intervalla dierum
solus iens inter variarum saecla ferarum
esuriem sentiret, at illa haerentia viso
mansuevere Deo, nec prima luce vagantem
laesere aut placido claudentem lumina somno.
illius ante pedes serpentum flammea monstra
corripuere fugam celerem et gens noxia vermes,
atque leo atque ferae tigres spirantibus ignem
eminus exarsere oculis. sed iam aspice ab arvis
errabundus adire senex; seu forte fugacem
investigat ovem pastor, sive arida ligna
conquirit brumae solacia dandaque parvo
nutrimenta foco cum spirent frigora cauri,
hunc vespertinum venientem et rore madentem
silvano approperare videt, qui lumine primum
membra pererravit vigili, tum talia fatur.

T. S. E.

1063 *I know not why the beech delights the glade*

ME latet, emissis cur fagus plurima ramis
undique luxurians teretem expatiatur in umbram;
dum celsis decrescit apex sub imagine coni
abietibus et scindit acuta cuspide nubes:
cur quercus renovata comas redeuntibus annis
augusti capitis varium transmutat honorem;
dum gerit aeternam taxus sibi fida iuventam,
ramo semper eodem immutatoque colore.
cur orbata perit solari lumine caltha,
cur nigrantem animat felicius umbra cupressum?
exoptant mediam cur ficus palmaque sedem
et dare radices porrecta per aequora gaudent,
dum viget inferiore cucurbita laeta palude
et circum montes umbracula nectit oliva?
cur caelum haud aliud, locus haud diversus, amictu
induit ardenti rubicunda papaveris ora,
lilia inornatos patitur pallescere voltus,
caeruleaque humilis violas ferrugine pingit?
dicite silvestres fetus floresque tenellos
unde agit occulti diversa potentia fati?
cur eadem tellus caelum amnis spiritus idem
ad vitam levat hunc, ad funera deprimit illum?
per ripam aestivam vel aquosi gramina prati
diversam iactant foliorum milia formam:
natali contenta solo securaque florent,
texere nec discunt operamve insumere curant;
illa tamen clare ardescunt ridentque superbam
pauperiem nostrae vestis luxumque minorem.

G. DOBSON, *A.S.* 1734

1071 *Oblivious sleep, calm virtue's tranquil guest*

SOMNE, quies animi placidissime somne sereni,
qui semper refugis peccati conscia corda,
liber adhuc necdum quas cetera passe catenas,
at reges fortis te ludere vana precantis;
surdus adulantum sprevisti vota nec arces
incola munitas nec stragula mollia adibas,
sed magis agrestem casulam crassumque cubile,
inspergens leviter lethaea papavera, sive
sopisti velorum inter cunabula nautam,
dum fera mugit hiemps et findunt fulmina nubes,
dum super unda ruit supterque voragine vasta
pontus hiat iam iam mersurus funere acerbo.
Illius aerumnis pressi saeptique periclis
tu lenis solator ades, mulcesque vagantem,
somne, virum; tua quippe meretur dona, serena
cui probitas et casta fides et sobria vota.
iamque toro stratus curas abiecerat omnes,
et, cum arguta diem cantaret alauda renatum,
haud mora quin strato exiliat, suspendat amatam
rite umero citharam nec passu deside pergat
prata per et silvas; festiva micare corusco
sole videt folia, et nullum non lucida roris
gutta rubum, dum carpit iter, distinguere cumque
splendescente die magis est splendescere visa,
donec inardescit radiis ager undique, donec
maturos rosa pubescens exhalat odores,
tum vero in liquidas tenuata absumitur auras
parsque vaporiferi facta aetheris evanescit.

H. A. H.

1074 *As new waked from soundest sleep*

PRINCIPIO attonitus tamquam alti vincula somni
iam vix exueram, vidi me mollius herba
stratum florifera, membris sudore rigatis

ambrosio, quem sol avido citus igne bibebat.
protinus ardenti miratus lumine caelum
suspicio et vastum longe contemplor inane:
vi deinde ingenita, tamquam contendere vellem
aethera, prosiliens levis efferor et pedibus sto
erectus. lustrabam oculis circum undique montes
convallès nemorumque umbras et aprica patentum
aequora camporum liquidoque loquacia lapsu
flumina: propter aquas animantia laeta vigore
incita, quae graderentur humi quaeque aëra pennis
tranarent: laetae ramis cecinere volucres,
cuncta simul risere et odores cuncta dederunt
ambrosios; toto undabat mihi corde voluptas.
me tandem contemplor et ordine singula membra
usque alia ex aliis recolo: deinde artubus utor
mollibus ingressu cursu, ut vigor impulit acer.
sed quis eram, quibus in terris quove editus ortu,
nescibam: adgredior fari linguamque recentem
sollicito; paret mihi lingua atque ordine novit
nominibus memorare suis quaecumque tuerer.
'Sol,' dixi 'dulce o lumen tuque alma renidens
ore hilari tellus radiis perfusa serenis;
o montes nemora et vallis, o flumina campi
quaeque agilis formosa animantia tenditis artus
pandite vos, siqua vidistis, pandite origo
quae mea, qui talis natus quove haec loca pacto
adveni; non vi propria, certe arduos auctor
nescio quis duxit bonitate et viribus ingens.
illum ubi vestigem vos dicite, qualis adorem,
qui vitam ac motum dedit et quaecumque beatos
gaudia pertemptant vixdum mihi cognita sensus.'

G. DOBSON, *A. S.* 1750

1078 *AMOR FVGITIVVS*

CUM Venus intento natum clamore vocaret,
'si quisquam in triviis errantem vidit Amorem,
hic fugitivus' ait 'meus est: pretium feret index
basiolum Veneris: quod si ad me duxeris illum,
non simplex dabo basiolum; plus, hospes, habebis.
insignis puer est, at totam agnosce figuram:
corpore non niveus, verum ignem imitatur: ocelli
acres flammeoli, mala mens, suavissima verba.
quod loquitur non sentit idem, vox mellea: sed cum
ira inflammatur, tum mens illi effera; fallax
fraudator mendax ludit crudele puellus.
crispulus est olli vertex faciesque proterva
exiguaeque manus: procul autem spicula torquet,
torquet in umbriferumque Acheruntem et regna silentum.
membra quidem nudus, mentem velatus, avisque
more citans pennas nunc hos nunc advolat illos,
saepe viri pressans praecordia, saepe puellae.
arcum habet exiguom, super arcu imposta sagittast;
parva sagitta quidem sed caelum adfertur adusque;
parva pharetra olli dependet et aurea tergo:
sunt et amari intus calami, quibus ille protervos
me quoque saepe ferit matrem: sunt omnia saeva,
omnia seque ipsum multo quoque saepius angit:
parvula fax olli sed et ipsum Hyperiona vincit.
verbere, si prendes, age ne miserare puellum:
si flentem aspicies, ne mox fallare caveto:
sin arridebit, magis attrahe: et oscula si fors
ferre volet, fugito: sunt noxia et oscula, in ipsis
suntque venena labris: si fors ita dixerit 'heus tu
accipe, nempe tibi cuncta haec mea largior arma,
ne quicquam attigeris, fallacia munera Amoris;
omnia namque igni sunt infecta illius arma.'

ANGELVS POLITIANVS, *A. S.* 1490

1081 *A single step that freed me from the skirts*

UNUM continuo passum progressus opaca
exueram nebulae. species tum mira repente
obiecta est oculis, qualem non somnia noctu,
non vigiles possint sensus obfundere menti.
visa etenim ante pedes subito ceu magna iacere
urbs; dicas potius—structarum immensa domorum
congeries extenta procul vastoque recessu
se condens, longe sed ubique patentibus aucta
luminibus. gemmis moles et visa pyropo
sive auro constare; alabastro tecta nitebant
concava, pyramidesque argento et porticus alte
aggeribus latis ad caelum plurima candens
surgebat. stabant hinc clara palatia longis
ordinibus; turris illinc murique corusca
quarum in fronte super splendebant, ceu vaga caeli
sidera, gemmarum cunctarum lumina mixta.
hanc oculis speciem ventorum viribus actae
praebuerant nubes quas iam pacata procella
liquerat, atque sinus collisque et acuta iugorum
culmina, quo cumulus tandem concesserat atque
caerulea versabatur sub luce vaporis.
mirum equidem visu nec voce effabile nostra!
nam nebulae nubesque et caespite cincta virenti
flumina, manantis et aquae de rupibus, omni
nubila tincta colore et saxa aetherque smaragdo
lucidus, in formas conflata incensa coacta
omnigenas, miram seriem commixta domorum
condiderant, arces velut atque palatia et alta
templa, aliam et turbam quam nomine nulla notarit
vox spiris nebulae multoque volumine tortam.

W. S. W.

1084 *That day I oft remember, when from sleep*

MULTA mihi subit illa dies, cum vincula primum
discutiens somni memet speculabar in umbra
mollia florifero recubantem membra cubili.
tum quibus in terris, quid eram mirabar et unde
quo duce: nec longe nigranti effusa caverna
murmure cum rauco vis rauca erupit aquarum
quae liquidos late in campos diffusa sereno
stabat clara sinu puroque simillima caelo.
hic ego inexperta iam mente ignara rudisque
me viridi temere fundebam in graminis herba
inspectura lacus purumque in marmore caelum.
ecce autem, flexa in lymphas dum lumina tendo,
aemula forma mei speculo lucente refulsit,
ipsa mihi tendens simili sua lumina voltu;
me revoco, revocat pariter se forma; redibam
laetior, illa redit placido non segnius ore,
cognatos facili risu testata calores.
usque et adhuc oculos penitus defixa silentis
tabueram molli flamma, ni talibus aures
vox cita pertigerat monitis 'quod cernis in unda,
quod cupidis lustras oculis, pulcherrima rerum,
forma tuast; tecum illa venit tecumque recedit:
at sequere et ducam qua non levis umbra vetabit
amplexus; illum ipsum oculis, tu cuius imago es,
continges; illi inrupto data foedere prolem
innumeram similemque tui dabis; unde hominum gens
te sibi communem referet per saecula matrem.'
quid facerem? occulto duce persuadente sequebar;
teque vaga platani fusum sub fronde videbam
procerum forma insigni: verum ore, fatebor,
molle minus radiante, minus ridente decoram,
lucida quam vitreo quae flumine fulsit imago.

G. DOBSON, *A. S.* 1750

1085 *Down thither prone in flight*

HUC properat praeceps, immensumque aethera tranans
terrarum medios cursu secat impiger orbis;
nunc ventos agit arctoos neque commovet alas,
nunc hilarem celeri penna sibi ventilat auram;
protinus inferiora petit quae summa volatu
audaces temptant aquilae, generique volucrum
visus adest phoenix, spectatus ab omnibus ales
unicus, ipse suum celebrat qui solis in aede
funus, ut Aegyptum Thebanaque moenia visit
tum subito in scopulum Paradisi lapsus eoum
insidet, inque suam formam redit, aliger ille
nuntius e superis veniens. sex induit alas
velamen formae divinae, umbraque duarum
inducit latos humeros, et pectus honore
regifico exornat; mediis amplectitur artus
siderea ut zona medios; tum limbus et orae
pennarum extremae lumbos et crura coronant;
aurea lanugo fulget pluviaque colores
aetherea tincti; reliquis at protegit alis
ima a calce pedes, plumisque ornatur ut armis;
diversa varias macula nota caerula signat.
constitit ut Maia genitus, tum concutit alas;
omnia divino circum complentur odore.
ilicet hunc vigilum cunctae agnovere catervae;
caelicolae adsurgunt atque admirantur, ut ipse
se gerat eximium, quae mandans nuntius adsit;
quippe omnes quaedam moniturum magna putabant.
lucida custodum tentoria praeterit ille,
iamque tenet locos laetos et amoena vireta
stillantum myrrha nemorum, qua pinguia sudant
balsama, qua casia et varios dat nardus odores;
omnia mixta simul funduntur suavia silvis:

mirus quippe latex it mobilis undique; gemmis
lumine dat radiare vago: dat quercubus altis
saevas indignari hiemes et temnere ventos;
spicula dat scintillanti tenuissima vino;
et vehit et generat speciei alimenta cuique,
ut vitam seu quae spirabilis aetheris aura
vescitur irriguisve virescit florida campis.

THOMAS WARTON, *A.S.* 1802

1087 *TITANIAE QVERELLA*

HAEC sibi finxit amor malesanae insomnia mentis
scilicet—at nunquam seri post tempora veris
colle sub umbroso pratis nemorumve latebris
aut ad fontis aquam aut viridis convenimus ulvas
aut maris in ripis, numeris pedibusque paratae
exercere choros ventosi ad murmuris auras,
quin tua tu nostris misceres iurgia ludis.
ergo indignantis surdis cecinisse gravique
ira commoti nebuloso ex aequore venti
aequoreas pestes hausere atrumque vaporem:
ille in culta ruit, tenuisque umore vicissim
complet agens rivos, qui mox tanto augmine laeti
obiicibus ruptis lati dominantur in agros.
ergo nequiquam patitur iuga dura iuvencus;
agricolae effusus periit labor: omnis in arvo
imberbis tenera putrescit culmus arista:
at viduata iacent udo praesepia campo,
et pecorum pascunt vitiata cadavera corvos:
lustra luto squalent Saliis bacchata novenis;
sed neque iam choreas implexosque orbibus orbes
cernere, habetque situs loca quondam trita Napaeis:
denique hiemps in vota venit mortalibus aegris,
brumalisque dies nimium distare queruntur;
nullus honor musae nocturnove additus hymno.

J. Y. S.

FINIS FASCICULI PRIMI

Folia Silvulae

FASCICULUS SECUNDUS

FOLIA SILVULAE

3 *MVSICA*

LUCTUS musica temperat feroces
et fati levat ingruentis ictus;
dulcis musica molliter laborem
mutat laetitia: sonante plectro
spes aversa redit, furor recumbit;
nobis illa eadem brevis adauget
terrae delicias opesque caeli
praesentire docet remotiores.

C. SMART, *A. S.* 1750

6 *ISACIDIS CLADEM DENVNTIAT*

AUDITE vatem luctuum praenuntium,
audite lessum funebrem;
occidit! aeternum virgo occidit Israëlis,
et iacet in patrio nuda relicta solo:
eheu per urbem, per vias eheu sonet;
eheu per omnes viculos:
doctisque iungat praeficarum luctibus
rudem colonus naeniam.

ROBERTVS LOWTH, *A. S.* 1753

9 *My eyes are dim with childish tears*

GUTTIS ora mihi nant puerilibus,
et cor nescio quid flebile commovet,
illis notus enim temporibus sonus
idem inlabitur auribus.
confectis senio non secus omnibus
talis lex manet; at mens sapientior
aevi furta parum, sed magis illius
tristes reliquias gemit.

S. L.

14 *Hark, hark! the lark at heaven's gate sings*

AUDIS alaudae carmen ad ostia
caeli canentis? sol oriens equos
deducit ad fontes aquatum
adpositos pateris rosarum.
vides? ocellus nictat ut aureus
roris marini, iamque recluditur
est siquid in terris amoeni:
surge toro mea, surge, Lyde.

H. J.

16 *Begin the song and strike the living lyre*

CARMEN dic age: fervidam
annis perpetuis o ferias lyram.
anni perpetui viden
ut longo veniant compositi choro?
ut cunctae manibus manus
aequatoque pedes impete pareant
(mirum!) carminibus meis?
illo dum dabitur ferre pedem choro,
nostrum non aberit melos,
donec summa dies terribili tuba
mundi concinet exitum,
non latura dies mollia carmina.

IOANNES KEBLE, *A. S.* 1844

17 *My heart leaps up when I behold*

NESCIO quo saliunt motu mea corda tuentis
iris in aetheria quam micet arce poli:
sic aetate fuit prima: sic fine senectae
fiat adhuc; vel me mors properata tegat:
nascitur e puero vir; et o mihi debita iungat
natura pietas instituente dies!

B. F. W.

25 *ADVERSA CONSTANTI ANIMO FERENDA*

SI quae flent mala lugubris
auferrent oculi, Sidoniis ego
mercarer bene lacrimas
gemmis aut teretum mercè monilium.
at ceu rore seges viret,
sic crescunt riguis tristia fletibus.
urget lacrima lacrimam
facundusque sui se numerat dolor.

MATHIAS CASIMIRVS SARBIEVIVS, *A. S.* 1620

30 *BENE QVI VIXIT, VIXIT ET ILLE DIV*

NON moles homini qua creverit arboris instar,
Postume, pro virtute valebit:
quae tria saecla viret quercus, tamen inde ruina
decolor exit, inutile lignum.
lili praestat honos, maio quod sole creatum
nocte perit, at lucis imago,
lucis erat soboles. ut parvo saepe venustas
integra, sic aetas breviorist.

C. W. M.

34 *Again those sounds sweep on*

EN rursus liquidum melos
impellens tenerum praefluit aëra:
eheu quo nimium brevis,

quo fugit magicae vocis anhelitus?
  rursus me mea somnia,
rursus destituit me placitus furor.
  urbis non alio suae
cum devota dei maenia deserunt
  vibrant nubila murmure,
quod supplex aliquis, dum dolet arguit,
  aurae per refluae moras
audit succiduo devenerans genu.

H. A. H.

36 *The lark now leaves his watery nest*

UMIDAM iam linquit alauda sedem et
  rosidas caelo quatit alta pennas;
iam tua lucem petit e fenestra
  carmine tardum
provolans istinc iubar: 'eia surge,
surge' sic cantat 'remoratur ortus
dum tuis ignes reparare luna
  possit ocellis.'
astra mercator veneratur, anni
sol vices signat varias colono;
sed toro donec sua lux relicto
  surgat, amanti
cessat Aurorae celer usque currus:
eia! praetentam, Lalage, cubili
dimove byssum, tenebrasque caelo
  pelle morantis.

C. B. S.

II

E NIDO trepidans exilit umido
  cristatus volucer rore micantibus
pennis; ille fenestra
  auroram putat e tua

lucere, ac reducem sollicitat diem.
somnos excutias: dum tua cernere
  Phoebe lumina possit
    seque instar reparet tui,
constans usque fugit surgere. agrestibus
signans ergo vices sol reget ordinem
  anni; sidera nautae
    mercator venerabitur;
at siquis rutilum crediderit diem
venturum citius quam Lalage suas
  excussura soporem
    palpebras retegat, mera
fallit simplicitas. discute, discute
iam noctem, Lalage, velaque byssina
  impendentia lecto
    recludens facias diem.

E. W. B.

37 *He that loves a rosy cheek*

ARDET amans rosei voltus quicumque colores,
  labrave curalio conspicienda suo:
sidereave petit candentia lumina flamma,
  pectore quo pascat qui fuit ante vigor:
quo magis haec perdat numquam revocabile tempus,
  sic calor ipsius non revocandus abit.
lene sed ingenium, firmae constantia mentis,
  motu quae nimio numquam agitata tumet:
corda, pari vinclo quae coniunguntur amoris,
  aeternas animo supposuere faces:
haec ubi non adsunt, rosei nil oscula labri,
  lumina nil, pulchrae nil valuere genae.

W. D.

47 *ORPHEVS*

VATES Threïcius lyra
  arbusta et rigidum flectere montium

ad cantum potuit caput:
flores et frutices fudit humus novos,
ceu ver perpetuum foret
alternis vicibus solis et imbrium.
nil non succubuit lyrae
auditis numeris; vel tumidum mare
undarum posuit minas
demisitque caput: vis ea carminis,
curas carnifices potest
sopire aut placito tradere funeri.

C. J. C.

II

GELU rigentum culmina montium
flectebat Orpheus, barbiton arbores
flectebat in dulcem canendo;
ad numeros pariebat herbam

fecunda tellus graminis et novos
enixa flores et genus arborum,
ceu Phoebus atque imbres bearent
perpetuo loca laeta vere.

utcumque vates increpuit lyra,
nil non subactum est carmine; non maris
ipsi recusavere fluctus,
sed tumidas posuere frontes.

hac arte pollet Musa lyrae sciens,
hac cura mordax, hac dolor anxius
sopitur, auditove chordae
continuo moritur canores.

A. H. W.

III

ARBORES, Orpheu, comitesque silvas
callidus duxti fidibus canoris,
et pruinosos poteras canendo
flectere montes.

dum canis flores subitaeque plantae
usque succrescunt, velut almus imber
laeta cum Phoebo loca si bearet
vere perenni.

omnia intentas tibi blandienti
admovent auris: tumidos et ipse
comprimit fluctus, placidoque dormit
marmore pontus.

carminum quid non potuere vires?
haec feros luctus animique edaces
sopiunt curas vel et interemptas
funere condunt.

C. J.

51 *AD BRITANNIAM*

PULCHRIS pulchrior insulis,
quam iucundus amor, gaudiaque incolunt,
in te posthabita Cypro
sedem laeta Venus ponet amabilem:
quin et finibus a suis
curas sollicitas invidiam simul
livoremque veneficum
et leti cupidum spe prope mortua
maerorem Puer exiget:
sed questus faciles, lenia murmura,
et suspiria pectoris,
ignem quae veneris flamine suscitant,
cedentemque superbiam
fastu cum tenero—tot mala senties.

R. E.*

II

O INTER omnes pulchrior insula,
iucunda amori et deliciis domus,
hos ipsa mutabit recessus
alma Venus, Cypriosque linquet

aversa lucos. hinc metuens suis
curas Cupido tollet et invidum
pectus venenatasque rixas
funeraque et gemitus amantum.
vos lene murmur, vos tacitum queri, et
suspiria igni qualia dant facem,
feretis et mollem repulsam et
probra brevi simulata fastu.

R. E.

III

O SOLA ante alias pulchrior insulas,
sedes apta iocis, apta cupidini,
te sacram sibi vellet
Cypro posthabita Venus.
curas invidiam fervidus hinc Puer
arcebit, referens spem modo perditis;
livorisque venenum
hic defendet amantibus.
sed tantum gemitus dulce querentium
et rixae facilis queis magis urimur,
pellacesque repulsae,
hic, hic solus erit dolor.

54 *Ah fading joy! how quickly art thou past*

HEI mihi laetitiae quam fallax umbra! sed ipsi
ruentis urgemus fugam:
haud paucae torquent mortalia pectora curae,
quid usque quaerimus novas?
ipsa rapax eheu nimis instat Parca; quid ultro
insequimur audaci pede?
audin ut arboreis testantur gaudia passim
aves canorae frondibus;
illis magna parens rerum bene consulit; illi
callent paratis perfrui,

68 *AD CICADAM*

O QVAE populea summa sedens coma
caeli roriferis ebria lacrimis
et te voce, cicada,
et mutum recreas nemus,

post longas hiemes, dum nimium brevis
aestas se levibus praecipitat rotis,
festinos age lento
soles excipe iurgio.

ut se quaeque dies attulit optima,
sic se quaeque rapit: nulla fuit satis
umquam longa voluptas,
longus saepius est dolor.

MATHIAS CASIMIRVS SARBIEVIVS, *A. S.* 1620

70 *O that we two were maying*

O UTINAM festos ageremus veris honores
inter odorati flabra secunda noti!
dulce susurranti puerilis lusus in umbra
et violas violis implicuisse foret.
o utinam, qua tondet ovis iuga celsa, liceret
somnia per vacuum fingere laeta diem;
obductamque procul nebulis albentibus urbem
et fluvium et notos prospiceremus agros!
o utinam in lecto positis sub caespite sacro
ultimus urgeret lumina nostra sopor;
terra sinu placido defessos conderet artus
et reduces animas in sua tecta Deus!

72 *So we'll go no more a roving*

SIT modus tandem neque in alta noctis
usque tam sero comites vagemur;
sit licet lunae sua lux suusque
cordibus ardor.

corda nam pectus peredunt, ut ensis
saepe vaginam; requies anhelis
poscitur labris, requies amori
poscitur ipsi.
nata nox uni, reor, est amori
et dies nocti citior resurgit;
ne tamen rursus comites vagemur
sub face lunae.

S. L.

73 *IN CHLORIDIM AEGROTANTEM*

QVIS potest nostrae modus esse curae?
quid potest aegrum recreare pectus?
dum cubat Chloris cruciata saevo
nostra dolore?
spes abest omnis, duplicat timorem
vana formido: sopor ipse terret,
terret in somnis mihi quaeque visa
noctis imago:
at, Deus, tanti miserere luctus,
votaque exaudi; rape, si placebit,
quidlibet nostrum rape sed puellae
parce iacenti.

H. A. H.

99 *LOTOPHAGI*

UT libet hic pronae mulceri murmure lymphae
iam semihiante pupula,
semper et incertum visos captare soporem
fomenta curae quaerere;
ac veluti summo lux incubat aurea colli
myrtique complexus amat,
sic cessare placet cumulareque somnia semper
imaginosa somniis:
interea tenuis audire referre loquellas,
lotoque pastos aurea,

quotquot eunt horae, prope litora curva tueri
ut lene inhorrescat mare,
spumeus utque orbis tereti vada limite signet
libata rore lacteo;
imperioque animos et corda volentia mitis
permittere aegrimoniae.

H. A. H.

107 *Lyke as the culver on the baréd bough*

QVALIS ubi ramo nudato fronde palumbes
insidet et nidi plorat abesse parem;
nempe quot illa canens votis suspirat amatum
ut redeat longa visus abesse mora,
absens absentem sic eheu perditus ignem
conqueror ex oculis disperiisse meis:
solus et huc illuc incertis passibus errans
maerentis tristes aemulor ipse modos.
nec, quaecumque vigent sub caelo laeta, levabunt
pectora, conspectus dum latet illa meos:
quae voltu movisse potest hominesque deosque
ut tanto exoptent posse lepore frui.
et mihi caeca dies tam pulchro sole remoto,
vitaque tam casto lumine cassa perit.

C. J. C.

111 *When to the sessions of sweet silent thought*

UTCUMQVE mentis solus in foro meae
priscos remetior dies,
tunc, expetebam spe quot irrita, subit
desiderare denuo,
interque fletus, quos prius fleram, nova
morae queri dispendia:
propter sodales nocte mersos perpete
tunc insolens madet gena,
et exoletis rursus uror ignibus,
amissa rursus conqueror:

curae recursant plurimas quot hauseram,
  et imputandis denuo,
quot imputaram iam diu, suspiriis
  omnis recensetur dolor.
tua sed imago si revertit interim,
  sodalium carissime,
resarciuntur damna: curaque et dolor
  facessit omnis illico.

H. A. H.

II

CUM mihi quod retro est aevi se sistit imago
  remque in iudicium mens taciturna vocat,
spes doleo lusas rerum ploratagque quondam
  questus ab integro tempora trita gemo.
tum recolens leti quos intempesta premit nox,
  flere licet cessem, pectora fida fleo.
tum renovat lacrimas indebitus angor amoris
  et mihi quo steterint gaudia vecta gemo,
plorandi scio materiem plorare vetustam
  et memor aerumnas dinumerare meas,
iustaque, flebilium ducta ratione malorum,
  solvere bis quasi non illa soluta prius.
tot tamen amissis, tua si me stringit imago,
  te compensavi tristitiaque vaco.

T. S. E.

113 *AD LAVRENTIVM*

HONESTA honesti progenies patris,
  manant inerti dum pluvia viae,
quem saepe, Laurenti, sodales
  ante focum pariter morantis

fallemus horas, si quid inhospita,
amice, possit praeripier die?
  sic, aura dum mitis favoni
  flore solum reparet solutum

quem ver inemptis vestit honoribus,
decurret aetas levior. at brevis
sit mensa, sit cultu venusta
Cecropio levis apparatu:
sint innocentis pocula Lesbii
unde ad canorae carmina barbiti
surgamus, ut doctos susurrat
per numeros chelys icta plectro
aut culta Tuscos vox iterat modos,
non inficetos iure vocaveris,
quos ista delectant et isti
saepe vacant dare corda ludo.

116 *IN PEDEMONTANORVM TRVCIDATIONEM A. S. MDCLV*

QVOUSQVE non ulcisceris horridis
proiecta caesorum ossa sub Alpibus,
divine Vindex! qui perenni
Te dominum coluere ritu,
cum fortuita scalperet ilice
gens nostra divos? scribe capacibus
chartis querentes, quos ovili,
immeritum pecus, interemit
Taurinus atrox, per iuga proruens
cum matre prolem, non sine vallium
clamore vicinique montis
et gemitum reboante caelo.
i, sumptuosis sparge cruoribus
effeta latae rura Sabaudiae;
sceptro triumphatum triformi
sparge solum cinere insepulto:
gens unde crescat caede feracior
intaminata, quae Babylonii
ducente Te tandem tyranni
excutiat iuga luctuosa.

H. K.

127 *IN SEPTEMBREM MENSEM ANNI MDCCCXV*

DUM cuique silvis stat color arbori;
dum fronde gaudent, et decus integrum
agri rubescentes apricae
muneribus Cereris tuentur;

adest ab oris missus inhospitis,
quae regna fraenis bruma tenet suis,
instare testatus procellas
cum vicibus Boreas acerbis:

floresque mollis praecaveant monet;
vobisque vates, alituum genus,
'sumenda mature' inquit 'arma;
hostis hiemps metuendus urget.'

me, quem canoro sors alia choro
sub lege Phoebi censuit, aridus
auditus hic venti susurrus
per folia atque polum serenum

brumalis extat plurima temporis
secum trahentis gaudia nuntius,
cantusque musarumque curas,
quotquot iners renuebat aestas.

J. Y. S.

146 *Sweet Echo, sweetest nymph*

NYMPHA, quae nullis oculis videndam
incolis concham tenuesque ventos,
sive Maeandrum magis et virentes
diligis oras
sive convallem violis nitentem
qua tibi noctu philomela maestum
integrat carmen, faveas vocanti,
mobilis echo;
tuque Narcisso similes vocato
indices pulcros ubi sint gemellos,

ipsa quos si quo gelidae recondis
flore cavernae,
dic locum, vocis resonae magistra;
sic et in caelum redeas, deumque
dulcius cantus resones, sereni
filia caeli. J. M. L.

II

BLANDA echo, nemorum cultrix, gratissima nympha,
quae resonis specubus non adeunda lates;
qua violis pictas valles et florea rura
Maeander tacitis mordet amoenus aquis;
qua tibi nocturnas iterans philomela querellas
infelix mater flebile dulce canit;
dic mihi qua quaeram fratres in valle gemellos
(Narcissum referunt ore habituque tuum);
dic, si qua tecum herboso latuere sub antro,
aetheris arcanum filia blanda locum:
sis praesens nympha et durum miserata dolorem
suspensos placida dirige voce pedes:
sic ascripta choris superum et decus addita divis
caelestes referas gratius ore sonos.

149 *IN BRVMAM ANNI MDCCXL*

SOLUTA somnis eia age barbite
salvere solis vim reducem iube,
iam scandit in caelum boreum
spesque viam sequitur salusque;

horae faventis pervolitant polum
fingensque brumae credula mens fugam
iam rore iam sertis et almo
lumine ver decorat renatum:

o fons diei flammifer aurei,
votes venires si magis impiger,
lucente te foedi vapores
et nebulae fugerent malignae;

tu mox procellas, quae male turbidae
terram minaces inter et aëra
pendentque portenduntque pestem,
discuteres vacuas in auras.

W. D.

153 *IN VITAM HOMINIS*

HEU vitae spatium quam breve suppetit,
et quam praecipiti transigitur fuga;
heu cursus dubii quam rapido gradu
metam quaerimus ultimam.

certamen sequimur difficile et metu
plenum perpetuo: quae tamen impigrum
victorem decorant praemia? vocibus
maternis Sapientiae

aurem non iuvenis strenuus applicat,
donec progrediens iamque peritior
curisque adsiduis fessa puertiae
aetas plorat ineptias.

quid quod nunc animus dulcia prospicit?
alternis varias mox tamen occupant
horas spes levis et sollicitus pavor
et mentem stimulis agunt.

R. E.*

160 *VOTVM*

SCILICET semper mihi displicebunt
turbidi coetus hominum: fruenti
summa dulcedo citiora praebet
taedia cordi:
me voluptates miseret petentum
qui venenatam potuere linguam
propter has urbisque graves iniquae
ferre susurros:

at mihi, donec tumulo supersim,
illa sors detur cuperem senectae,
dentur haud magni at modici penates,
amplior hortus,
parva nec desit comitum caterva,
scrinia et libris cumulata quorum
docta soleturque iuvetque cultam
pagina mentem.
meque cum numquam fugiet cupido,
sit satis pulchra facie puella,
par deae cultu bona mutuumque
reddat amorem.

W. D.

161 *I would I were a careless child*

INTER arctoas utinam latebras
fas adhuc esset mihi commorari
nescio curae puero, vaganti in
devia tesqua;
vel per undarum cumulos nigrarum
dextera remum valida regenti:
liber hic pompam et proceres superbos
spiritus odit.
sint mihi ingentes scopuli, sit aequor
turbidum! fortuna, resume valles,
splendidos aufer titulos, inanis
aufer honores:
displicent servi, timidumque circa
lumen et linguae nimium faventis:
pone me fractas ubi surda cautes
verberat unda.
pone me notis iterum sub umbris
quas pererravi puer. a! meorum
tristis annorum fuga, vel iocoso in
vere iuventae

162 clauderem te quam placidus libensque!
non mihi adridet color huius aevi,
non mihi hic terrae strepitus: quid horam
nosse supremam
fata mortalis prohibent? sopores
atque ego auratos et amoena visa
dormiens pinxi prius, infideli
credulus umbrae.
veritas, dulcis odiosa somnos
rumpis et vitam vitiis scatentem
luce funesta retegens retortos
stringis ocellos.
tuque, amor, moestum fugis, et sodales
pristini fugere, peritque cunctae
spes voluptatis simul: omnia, olim
nostra, valete!
solus in laeta sedeo corona,
dum iocus circum sonat et citatas
sanguinis vires rubicunda vini
pocla ministrant.
163 Audio quos nobilitas sodalis
aequa vel census facit, audiensque
nil iuvor. vos, o iuvenes amici,
quos amor idem
iunxit atque aetas eadem, priores
ire vobiscum in puerilis aevi
quam velim scenas. ibi veriora
gaudia florent.
sponte fulgentis fugerem catervas
simplicem coetum repetens, beavit
quem levis lusus potior virorum
nocte bibentum.
[et puellarum chorus—ô puellas
dulce dilectas! studium, vigorem,

spem, decus, totum mihi! vestra languent
lumina et alget
pectus hoc vestras etiam inter ulnas,
non meam suspiria mortis horam
ulla turbabunt. quid? inepta vitae
vincet imago?
mente contenta fruar: ista dos est
una vel visa est tua, nata caelo
et parens virtus hominum.] sed absit
sordida longe
turba: neglectos cuperem recessus
ipse neglectus peragrare, cordi
qua sit aegroto requies et umbra i-
-donea curae.
detur, o praeceps mihi detur ala
territam nido referens columbam!
scinderem nubes rapidus serenae in
regna quietis.

FRANCISCVS HODGSON, *A. S.* 1809

168 *When we meet as when we part*

QVID fletus inamabiles
congressus pariter dulcis amantium,
digressus pariter movet?
quid, qua laetitia corda Deus beat,
ultro perdere quaerimus?
fulsit lux hodie candida: crastinas
cur accersimus invidi
infesta tenebras sollicitudine?
at si crastina lux feret
urat quod nimiis corda doloribus,
quid non laetitiam prius
praesentem adripimus quam procul evolet?

cur enavigat aequore
  vitae sic temere et debita neclegit
haec incuria gaudia?
  venturosque dies anxia prospicit,
actos non sine lacrimis
  et desiderio respicit irrito?

H. A. H.

172 *Where shall the lover rest*

QVEM fata finem aut quo requiem loco
  donant amanti, cui bene mutuos
  aeterna rescindunt amores
    exilia implacidaeque Parcae?

matura leto sors violas ubi
glaucis salicti sub latebris dedit,
  multamve per frondem remoto
    oceano obstrepuere silvae,

qua semper udo frigore fontium
lenitur atrox hora caniculae,
  austrique per saevos tumultus
    vix foliis agitantur orni;

hic, o supremis rapte ab amoribus,
tandem quieti pectora debitae
  trades, et excussura numquam
    lumina perpetuum soporem.

173 At proditori quem male perfido
dant fata finem, virgineam fidem
  auso fefellisse et iugalis
    foedera deseruisse pacti?

ille inter arma et rauca cadentium
lamenta, quando versa acies retro,
  sub mole turmarum ruentum
    stratus humi pedibusque pressus

periura circum pectora volturem
ala minantem sentiet, aut sitim
restinguet ardentem luporum
vivus adhuc saliente vena.

custos sepulchro ignominia addita
servabit ossa et dedecus adsidens
numquam revolvendos per annos
propitios habitura manes.

J. J. H.

179 *What woke the buried sound that lay*

QVISNAM sepultum Memnonis pridem lyra
cievit impetus sonum?
quisnam silenter spiritus praetervehens
Nili virentem marginem?
non noctis umbra, non procellarum minae,
non luridi vis fulguris;
sed sol calenti laetus exurgens face—
hic, hic cievit barbiton.
sic alta cordis fila quid vitae movet
infundere humanae melos,
ceu quae minaces temperat rixae sonos
audita vox amabilis?
non martialis gaudium certaminis,
non clangor armorum et tubae,
soli potentem ius datur Cupidini
cordis ciere musicam.

G. B.

180 *And when the sun begins to fling*

MOX spargit radios sol ubi fervidos,
duc me per nemorum, diva, crepuscula,
qua fuscam super umbram
nectunt frondibus arbores,

silvarum in latebras, pinus ubi et sacra
quercus, praeterito consita saeculo,
  qua non ulla bipennis
    nympharum timidos choros
sanctis e latebris, ictibus insonans,
saevis expulerit; sic oculis loca
  non permissa profanis
    tectum me teneant, aquae
rivos qua teneras irriguus lavat
herbas, et nimii silva recessibus
  arcet tela diei;
    concentuque simul suo
flores inter apum melliferum genus
crebro sollicitans murmure caespitem,
  lympharumque susurri
    somnos alliciunt leves.

C. B. S.

181 *Fair daffodils, we weep to see*

FLOSCULI, vernum decus, intuentis
  vos cito a nobis properare flemus;
vix nitens solis iubar orbe nondum
    constitit alto.
paululum, oramus, remanete; velox
it dies, donec dabit hora serum
vesperis carmen; simul et solutis
    nos quoque votis
rite vobiscum comites eamus;
tempus et nobis breve, praeteribit
ver breve et nobis; cito sic viremus,
    ut cito tabes
instet, et vobis similes reive
cuilibet certa pereamus hora.
quippe marcemus, velut imbre fuso
    campus ubique

aret aestivus, velut umor omnis
mane qui primo solet enitere
deficit gemmis, neque forma nostri
ulla videnda est.

J. G. L.

184 *What liberty so glad and gay*

QVAM grato fruitur carcere, quam nova
libertate puer, montivagum genus,
terrarumque remota
temnit laetitiae procax.
hunc nec terrigenûm rixa frequentium,
nec castri vitiat clamor et oppidi,
ut despexerit infra,
soli nec sibi riserit.
huic eos rosea luce ferit nives,
huic abrupta aciem culmina finiunt,
ipsi prorsus eosdem
fines phantasos arrogat:
tractus tantum oculis contigerint duo
quo cursus rapidi continuos trahant,
supra caerula caeli,
supter stagna nigrantia.

A. H.

185 *O snatched away in beauty's bloom*

NULLA super moles tumuli tua praegravabit ossa,
o rapta primo cum lepore vitae;
sed rosa pubescens foliis nova, mobili sed umbra
tuum fovebit caespitem cupressus.
saepe aliquis rivi ad scatebras, tua fata dum recursant,
defixus oculis somniansque multum
ibit iensque moras nectet pede molliter propinquans,
ne turbet altam manium quietem.
'aufer' ais 'vanos fletus; age, si sapis, querellas
omitte, nescit surda mors moveri:'

an tali monito quisquam pote dedocere questus,
  an vim doloris dissipare saevam?
at tibi, qui suades oblivia, cur genae madescunt?
  cur ora pallent ipsius dolentis?

H. A. H.

186 *The peace of heaven attend thy shade*

CAELESTIS requies, amata virgo,
  decedentem animam tuam sequatur;
nostrae dulcis enim comes iuventae
vidisti socios simul iocantis,
cum vitae facies novae placebat
promittens nebulis diem carentem.
quam laetans animi tui pudoris
aspexi tenerum vigere germen,
nec ventos timui procul sonantis,
ne frontem tibi laederent venustam
aut saevo premerent decus sepulchro.
praematurum obitum! brevique raptos
flores virgineae genae rubentis
et ferventia corda moribusque
ornatam in medio dolore mentem
et risu lacrimas pio subactas.
heu! voltus color et benigna marcent
ornamenta animi, silensque pulvis
nunc in valle iacens, dolenda frustra,
cognati repetis soli tenebras.
187 Tu concessa brevi tuis amicis,
(o cunas tumulo nimis propinquas!)
nunc aeternum oculis negata nostris
a! plusquam soror, a! vale Maria.
virgo, saepe tuam videns figuram
in prima mihi cognitam iuventa,
nocturnae loca per remota silvae
errabo memor, a! memor misellus
amissae graviter meae puellae.

crebris luctibus et nigrante languet
quo maerore hominum genus, priusquam
mutum funereo toro recumbat!
ipse ardore vigens tuo, iuventus,
aetatis mala naufragosque casus
lamentor querimonia perenni.
o! maestis acies madere guttis
adsuevit mea, plurimamque mortem
iam vivos patior, novos sodalis
et versum in cineres nigros amorem
et numquam reditura gaudiorum
lecto somnia nota sub paterno.

188 Non consortia pectorum priora,
non candor puerilis iste totos
iungens unanimi duos catena,
non suavissima caritas redibunt.
verni floris amor perire ritu
cur nascens solet? improbaeque curae,
quid pulchros tegitis brevisque soles?
nunc commercia fraudis et negoti
frigentis studium ligant cruorem
quondam praecipitem; videtque eodem
omnes intuitu senex avarus.
nunc natura, novae placens iuventae,
longe pellitur exul et fidelis
ardor ridiculum sonat; severis
nunc prudentia fulgurans ocellis
dulces dissupat indecora somnos.

189 Heu formosa fugax imago mentis,
regnum phantasiae vagum valeto!
sincerae nimium venite curae,
et vita historico dolore verax.
non convivia cordis aestuosi,
non risus hilaris merumque fulgens
semper flavicomos iuvant amicos,

sed fastus minitans malaeque leges,
sed torvo gravitas in ore regnans
crudeli vice deprimunt amorem.
at nulla vice deprimantur acris
adfectus animi—nec o! (senescam
quamvis corpore) mente sim gelata
constrictus miserae sopore lethes:
nec natura locum resignet arti.
nec pulchras penitus sinu puellas
excludam, nec amor senem relinquat,
qui tristis gelidam dolet Mariam.
nec laeti iuvenes meis recusent
includi laribus, licet sodalis
heu desiderio gravi priores
et vitam lacrimis sequar peractam.

FRANCISCVS HODGSON, *A. S.* 1809

193 *HYMNVS IN LVCEM*

PULCHRA de nigra suboles parente,
quam chaos fertur peperisse primam,
cuius ob formam bene risit olim
massa severa;
risus o terrae sacer et polorum,
aureus vere pluvius Tonantis!
quaeque de caelo fluis inquieto
gloria rivo!
o salus rerum et decus omne salve,
vita naturae vigil actuosae,
omnium mater bona cum calore
iuncta marito!
unde momento, quibus e pharetris
tela per totum iacularis orbem,
praepotens divesque Deique verbum
fassa paternum?

194 Carceres ipsos simul atque metam
linquis attingisque, animi sagittis
ocior strictis, rapida angelorum
ocior ala.
aureo lunae bene laeta curru
auream astrorum peragrare silvam et
vere nocturno reparata semper
visere prata,
[regiam gaudens habitare solis
more in aeternum Scythico vagantem et
divitem mundi redeunte gyro
ducere pompam:
inter et tantos humilis triumphos
vermium dignata animare caudas,
pauperes dignata hilarare parva
lampade vepris.]
te fugit nigris comitata pullis
nox et adverso latitat sub axe,
te fugit penna trepidans inerti
noctua somnus.
discolorato glomerans racemo
turba pictorum vaga somniorum
avolat; mixtas sine more formas
trudit et urget.
quin et obscenas repetunt latebras
saecla serpentum male consciorum,
nec tibi natura pudens sinistrum
obicit omen.

195 Ad tuos quondam Dolor ipse voltus
fertur invitam recreasse frontem;
cura subrisit pepulitque rugas
ore maligno.
ad tuos quondam Timor ipse voltus
excutit turpem genibus tremorem;

pallor ignescit; capite insolenti
cornua vibrant.
inverecundi dominator oris
te tamen testem metuit cupido;
flamma cognatis rotat in tenebris
sordida fumo.
tu, dea, eoi simul atque caeli
exeris pulchrum caput e rosetis,
in tuas laudes volucrum canoris
personat hymnis
aula gaudentis reserata mundi;
spectra discedunt animaeque noctis,
vana disceduntque tenebrionum
monstra deorum.
196 Te bibens arcus Iovis ebriosus
mille formosos revomit colores,
pavo caelestis; variamque pascit
lumine caudam.
in rosa pallam indueris rubentem,
in croco auratam indueris lacernam,
supparum gestas quasi nuda rallam
lilia complens.
fertilis Florae subolem tenellam,
purpura involvis violas honesta,
veste segmentata operis superbas
larga tulippas.
igne concreto fabricata gemmas
floreum immisces solidumque fucum;
invidet pictus fragilisque damnat
hortus honores.
parcior fulvis utinam fuisses,
diva, largiri pretium metallis,
parcior, quantis hominum adlevasses
pectora curis!

197 Mi quidem solis nitor et diei
innocens fulgor magis adlubescit,
pars quota humani generis sed aurum
non tibi praefert?
aetheris gyros per inexplicatos,
aeris campos per et evolutos,
aequoris per regna laboriosi
flumine vivo
lucidum trudis properanter agmen,
sed resistentum super ora rerum
leniter stagnas liquidoque inundas
cuncta colore.
at mare immensum oceanusque lucis
iugiter caelo fluit empyraeo,
hinc inexhausto per utrumque mundum
funditur ore.

ABRAHAMVS COWLEY, *A. S.* 1618

198 *The fountains mingle with the river*

IN fluvium fontes, fluvii mittuntur in aequor,
suaviter adflantes excipit aura notos:
nil simplex placuit fatis: geminantur in unum
omnia; sic tecum vita sit una mihi:
en montes aether, undam complectitur unda;
nec non fraterno floris amore bene est;
luce dies ambit terras, mare luna vicissim:
oscula quid tamen his, ni tibi nostra placent?

G. F. D. T.

199 *Though the torrents from their fountains*

AUCTUS hibernis fluvius procellis
it per abruptas silices, sed inter
montium anfractus potuit quietam
tangere sedem:

vecta veloci per inane curru,
antequam venti cadat ira, nubes
sistitur tandem, galeaeque ritu
colliibus haeret:

corvus in nimbis amat, ut marinos
acta per fluctus ratis, ire vento
flante, sed portum cupit et sub alta
rupe potiri:

at mihi numquam propiore meta
nox diesque aegro duplicat dolores;
exili sortisque vagae premunt me
taedia semper.

H. A. H.

202 *DOMINVS DOMINANTIVM*

SUMME numquis arbiter
scrutatus umquamst sic ope ingeni brevis
claustra quis coerceas
ventos? quis umquam rex maris procellae
aestuantis imperet
cum legis expers impotensque saevit?
en inops stat et miser
classis tyrannus, fractus e superbo,
cum perire litore
iam nunc potitam portibus videt suis.
futile imperi decus,
fines ut arti gloriam coercent!
quam fide stat impare
humana quod laus erigit tropaeum!

H. A. H.

206 *Victorious men of earth no more*

PARCE, victor, imperi
late patentis iactitare fines:
omnia occupes tuis
licet catenis litora, et tropaea

bellicosa proferas
  vias vel ultra noctis aut diei,
summa tu ducum tamen
  Orco vocanti pareas necesse est,
additusque pulveri
  e plebe fias unus obsoleta.
iussa mortis exigunt
  fames avara, pestis, atque bellum:
sola quaeque sat valet
  humana leto destinare saecla:
sunt et ad manum deae
  artes necandi delicatiores:
risibus vel osculis
  vitas amantum, cum volet, recidet.

J. C.

225 *It is not beauty I demand*

NON movet cupidinem
  frons invidenda Cynthiae manusque
delicatior nive
  nitorque crinis par deae marinae;
indolis sed aureae
  benigna vis et mentis haud movenda
quolibet fides dolo
  dos est venustae praeferenda formae.
hanc velim, doloribus
  cui pressa caecis adlevanda credam
corda more sedulae
  apis, gravata melle cum recondit
murmura in rosae sinum.
  iuvare quae me possit alloquendo
nescioque solvier
  iugata vinclo sedibus beatis
inseri simul velit,
  et pars superstes oderit relinqui.

H. A. H.

II

* * * * *

QVID speciosa valet candentis forma puellae?
da modo cui tenerum cor, sine labe fides:
quae licet insidiis rerum mersetur iniquis,
eveniat nullis inlaqueata dolis:
pectore cui molli fidens ostendere possim
quot mala secreto pondere corda gravent,
melliferis veluti defessa laboribus olim
flore rosae latitans murmura condit apis:
haec terris adsit vitae lenimen et aequo
sic animos stabilis foedere iungat amor:
ut mihi quum dabitur superas contingere sedes,
altera pars nolit luce relicta frui.

B. F. W.

236 *Content with poverty my soul I arm*

CAELESTEM amice pauperiem pati
callens obarmo pectora: me foco
pannosa quantumvis carentem
sufficiet refovere virtus.
qui nulla fatis carbasa perfidis
pandam, inquieti navita Cretici,
quid mille ventorum furores,
quid mihi Tartareae tenebrae?
quid si Liburnae funera naufragae
fissus minetur malus? at institor
pro merce tum furax iniqua
contremat, Icarias in undas
cum rapta gazae pondera truserit
luctans reluctanti aequor Iapygi;
me fata securum lacessunt
perdere quae nequeam vehentem:
tutus biremis praesidio scaphae
tumultuosum Nerea tempsero;

lascivus urgebit carinam
Æolus, incolumemque reddent
parvi recurvas in latebras sinus
Ledae gemelli, prospera sidera,
qua sospes e raucis minacem
litoribus tuear procellam.

A. H.

II

LAUDO pauperiem volens,
nec firmis animus praesidiis caret:
sit pannis licet obsita
virtus, me gelidum calfaciet tamen.
fortunae duplicis mare
cauto ne peragam, quid mihi nubium
nox? quid fascia lurida et
mali vulneribus naufragium imminens?
mercator cupidus fleat
ne gazam reparatam artibus haud bonis
luctantes pelago noti
avectam rabidis addiderint fretis.
fortunae gravis immemor,
et quod non habeo nec metuens lucro,
audax praesidio scaphae,
nil ponti sonitum, nil moror impetum.
auris quin properans meis
et stella placida Tyndaridum sinus
parvi latus in angulum
Neptunum speculor litoreus trucem.

H. C. G. M.

258 *Rarely, rarely comest thou*

RARO laetitiae diva potêns venis:
me quid nocte vaga, quid medio die
solum destituisti?
vae quot taedia noctium

te rapta ex oculis, quot trahimus dies!
te non qualis eram qua revocem prece,
quae ridere dolores
laetos inter et integros
malis, diva levis, scilicet omnium
ni te non careant immemor? at velut
frons vibrata lacertas
umbris mobilibus premit,
sic luctus animos percutiunt tuos,
sic ut tristitiae te gemitus nimis
culparint fugientem,
probri nec tamen audies.

A. H.

II

O QVAM rara venis, laetitiae dea,
rursus cur ita me deseris? at diu
noctes ire relictus,
tardos ire queror dies
ex quo tu refugis. nam quibus artibus
sortis te reducem vir tulerit meae?
tecum libera ludit,
te felix sequitur cohors;
nec mirum, lacrimas verteris in iocum;
eheu diva nimis perfida ceteris,
praesens riseris illi
si cui nil opus est tui.
vitas tristitiam victa timoribus,
quales sub foliis mobilibus rubi
diffugere lacertae
umbrarum pavidae metu.
vel suspiria te, quod nimium procul
fugisti, querulis vocibus arguunt;
surdas quid geris aures
plorantum querimoniis?

T. G.

III

GRATAE diva potens laetitiae, mihi
quid non semper ades? multa abiit dies,
multae tempora noctis,
per quam tu remanes procul.
ex quo tu refugis, nox mihi tristior
lugubrisque dies. a! quibus artibus,
quis victam revocabo
supplex te precibus, dea?
laetus floret ubi et liberior iocus,
ostendis digitum tristitiae procax:
heu solos memor illos
visis, quis sine te bene est.
arcet te trepidam maeror, uti levis
terret, cum tremulas aura quatit comas,
silvarum umbra lacertam
captantem tepidum diem.
singultu tenero te dolor increpat,
quod vites miseros improba: tu tamen
a! suspiria linguae
plorantis male neclegis.

S. N. S.

262 *AD PORTIAM NAVIGATVRVS*

ABSENS, Portia, si tibi
omnis distraherer, nec mihi tu procul
semoto tamen adfores,
tum demum unda rapax vel notus impotens
orarem miserescerent.
pontum ridet Amor dissociabilem
terrasque, ut vaga mens loci
horaeque omnipotens; et super aethera
seclusi procul arbitris
quali caelicolae iungimur osculo.

ergo et laetitiam datur
  praelibare pium; vivere enim quid est
in caelo, nisi mutuis
  labris ac socio lumine conloqui,
dum quales animae polum
  lustramus posito pondere corporum?

C. W. M.

264 *CARMEN DE MORTVO SIDNEIO CONSOLATORIVM*

VIVIT aeterno pia, vivit, aevo
  umbra; securis fruitur beata
manium campis: ibi delicati
  more modoque

dormit infantis, modo qui diei
candidum carpsit iubar. o quiescas
molliter, cui strata iacent odoro
  lilia lecto,

cui rosae circum teneraeque velant
membra (iucundum!) violae; neque ullo
tempore aestivae caret aura noctis,
  lux caret alma

alitum cantu, superum choreis.
en melos vocesque novae, sed ipsi
rite vocales, licet ille somno
  dormiat alto.

IOANNES KEBLE, *A. S.* 1844

267 *AD DIANAM*

DIVA venatrix age, casta virgo,
  Phoebus in glauca requievit unda;
more consueto rediens eburna in
  sede refulge:

Hesperus nam te radians precatur,
luce candenti redimita diva,
neu tuam velet faciem tenebris
invida tellus.
est tuae lucis recreare caelum
triste post Phoebi iubar: o petita
huc redi votis vicibusque tandem
fungere suetis:
pone fulgentis pharetras et arcus;
mitte veloces agitare damas,
et refer dulces radios diei
nocte silenti.

H. A. H.

II

VENATRIX regina fave, pulcherrima virgo;
sol iacet et mediis lene recumbit aquis.
o dea iam solio residens sublimis eburno,
regni sceptra tui rite, verenda, tene.
Hesperus en seros precibus desiderat ignes,
praeclara eximio lumine, diva, tuos.
terra tuae modo parce umbrae interiecta, nec aude
claudere caelestes invidiosa vias:
axe relucenti proprium tibi Cynthia munus
vespere per caecum lumina ferre polum.
casta veni, te redde oculis gratissima nostris,
praeclara eximio lumine diva tuo.
pone precor rutilum gemmis candentibus arcum,
lucida sit nitida missa pharetra manu.
ne canibus semper cervisque fugacibus insta,
et requiem captet territa dama brevem,
altera quae caelo fulges lux aemula solis
praeclara eximio lumine diva tuo.

E. T.

270 *Fair pledges of a fruitful tree*

O GEMMAE, arborei pignora fenoris,
cur tam praecipiti deciditis vice?
non vobis fuit aetas,
non vitae spatium fuit:
a! sub sole moras nectite, nectite,
dum tandem veniat summa necessitas,
et sub sole rubores
fiant non sine risibus:
credendumne satas in rapidam necem
horaeque exiguae vivere gaudium?
vellem non genitas, quibus
vix notus pereat decor:
nec gemmae facitis nil bene amabiles
nobis unde datum discere quam cito
vel pulcherrima rerum
vivant debita funeri:
quae vestrae similis mors simul obruit
ac iactant decoris primitias breves,
communemque feruntur
sub terrae gremio domum.

J. M. L.

271 *Swiftly turn the murmuring wheel*

FAC rota, fac rapiat cursus arguta fugaces;
amica noctis hora devenit polo:
taedia nox demit pensis: tunc, credere par est,
opem remissa sentit haud suam manus:
fac celeres circum rapiat rota lubrica gyros,
ut umbra noctis umidae supervenit.
stellati supra caput est tholus aetheris, infra
per arva lata dissitae iacent greges:
interea placito devolvite pensa labore,
sopore dum recumbit obrutum pecus:

fusus enim tenuem cursum subtilior urget,
  fideque fila certiore defluunt.
est desideriis arguti risus ocelli
  brevique pectus urat ut cupidine;
verus amor durat filoque simillimus illist
  benigna quale lana nocte sufficit,
tempore quo passim discumbunt colle supino,
  fruuntur et sopore languidae greges.

H. A. H.

II

DUC fusi resono stamina, duc, colo:
  venit cum tenebris noctis amicior
  quae mortalibus hora
    non mortalia suggerit:
iam nox cum vitreis roribus incubat
quae fessis magicam dat digitis opem:
  versato bene fuso
    duc filum properantior.
iam sub sidereo lanigerae polo
hic illic recubant, sparsa cohors, oves:
  exerce tibi gratum,
    exerce digitis opus:
dormitant pecudes! en tibi levior
versatur manibus fusus et omnium
  telarum melioris
    motus cernitur ordinis:
est ut fiat amor fronte loquentibus
verbis atque oculo non sibi credulo:
  est ut vix bene natus
    matura pereat nece.
sed filo est similis verus amor tuo,
quod lana atque leves suppeditant colus,
  quo grex tempore montis
    dormitans recubat iugo.

J. M. L.

277 *Goe find some whispering shade neare Arne or Poe*

I SUSURRANTES vagus hospes umbras
quaere, qua campos Anio Padusve
lambit, et fessos violis repone
molliter artus:
ut scias numquid valeant amoena
rura maeroris stimulos amari
fallere aut curas. dolor usque eunti
pone subibit:
ac ruinosam licet Urbis arcem
signaque informem tueare molem,
a tuo non sic animo exulabis,
nec tibi morbum
insitum expelles. licet orbis ultra
terminos, sol qua nitet alter, astra
qua nova, intactas adeas avaris
classibus oras:
ipse te nusquam fugies. vagari
mitte nequiquam: sinito inquietae
exul exquirat nova curiosus
gaudia menti:
tu domi veris fruere: hic volantum
ver choros aeque referet canoros,
docta quam si te recreet iacentem
Thessalis umbra.

C. B. S.

278 *Lovely lasting peace of mind*

'O PAX beatae mentis amabilis,
genti voluptas summa hominum, polo
quae nata mortales coronas
laetitiae meliore dono,
quoscumque amico lumine videris,
victor triumpho quam tulerit sacro;

amata pax mentis quietae,
sis oculis manifesta nostris:
praesens amico si venias pede,
aetate tellus utitur aurea,
et quisque ceu quondam beato
elysium gremio reportat.'
Sic rite testes inter ego arbores
pronuntiavi vota animi: neque
videbar absentem serena
sede deam precibus vocare:
quae sic locutast 'arbitrium rege,
constringe motus pectoris efferos,
Deumque quum noris, memento
delicias pietatis almae.'

W. D.

279 *Phillis is my only joy*

PHYLLIS sola mihi placet;
ventis perfidior, perfidior mari.
Phyllis perpetuo placet,
seu sit difficilis seu veniat libens.
ut me cumque supercili
nube obtexerit, en Phyllis amabili
risu non sine fraudibus
maiores animos restituit mihi.
quamquam heu repperio nimis
sero nulla sinum tangere vincula:
si subriserit, ocius
ignovisse dolis me iuvat omnibus,
quos etsi video, tamen
nodis me nequeo solvere: sic agor
inter spem simul et metum;
deceptus quid amans praeterea velit?

G. B.

280 *Ask me no more my truth to prove*

NE quaere, nostram ut amplius temptes fidem,
perferre quid tam amens velim:
tecum libenter exul iverim in loca
qua sempiterna nix iacet:
constricta glacie qua stetere flumina,
caurique denudant nemus.
qua cuncta, ocellos dum fero circum meos,
contristat informis situs:
illic, fugacem sive agas cervom, genus
seu provoces ferocius,
audacter arma, crede mi, feram in manum
venaticamque hastam dabo:
sub imminenti montium cacumine
aut in cavernis saxeis
dapes inemptas ipsa ego instruam tibi,
neque invidebo regibus:
molli iacebis lassus in musco, torum
pellesque silvestrem tegent;
dum, qui iacentem protegat periculis,
amor fidelis excubet.

G. B.

283 *NE NIMIVM ADOLESCENTIAE FIDAT*

NE te, Pausilipi, fallat inanibus
aetas deliciis, quae simul impigris
incertum rapuit curriculum rotis,
effraeno citius labitur Africo.
mendax forma bonum deficientibus
annis praecipitat, vitrea concuti,
delabi facilis, cerea diffluere
hornae more rosae, quam modo rosidam
cum fovit tepidis mane favoniis,
dissolvit pluviis vesper etesiis.

numquam quod rapido pollice texuit
audet compositum Parca retexere:
nec reddit refluo saecula turbine.
felix ille nimis, cui breve temporis
momentum haud placuit; qui iuga mobilis
aevi deposuit, qui sibi lucidam
iam nunc solicito lumine patriam et
arcem nobilium destinat ignium.

MATTHIAS CASIMIRVS SARBIEVIVS, *A. S.* 1620

286 *ISRAELITIS CLADEM DENVNTIAT*

LUCTUS peritas huc vocate feminas
maestae scientes naeniae:
orsae eiulanti flebiles modos choro
ferale carmen praecinant;
ut mollis omnes umor in genas fluat,
fluant perennes lacrimae.
nunc nunc ad aures lugubris fertur sonus
Sionis altae a maenibus
'Funditus occidimur: natalia linquimus arva:
linquimus heu patrii dulcia tecta soli!'
adhuc Iehova flebiles cantus iubet;
parete iussis praeficae:
docete maestos virgines lessi modos;
docete vicinas nurus:
'mors urbem invadit, rapit heu iuvenesque senesque,
saevit acerba domi, saevit acerba foris!
corpora fusa iacent, vacuis proiectus in arvis
ut fimus, utque iacet falce recisa seges.'

ROBERTVS LOWTH, *A. S.* 1753

298 *Go up and watch the new-born rill*

INUPER ortum respice rivolum,
musci virentis qua trepidat toro

clivumque vestitum genista
purpurei notat instar auri.
dic quo feratur scilicet insolens?
quae scindet aut quae transiliet iuga?
undasque dic quorsum tumentem
mittet in oceanum salubres?
quem cernis est ut rivolus, imperi
factus potentis praesidium, rates
hinc inde sit vecturus ipsis
consulibus ratium magistris.
aut scire fas est te, quibus in iugis
acclinis urnae nympha soror die
noctuque montanaque tecta
carice arundineaque ripa
quodcumque apud se est pascat? at avios
saltus relinquens mox sociabitur
tecum sub Aegaeo patenti
innocuam peritura vitam.

301 *Let us quit the leafy harbour*

IAM tecta mecum frondea desere,
admurmurantem desere rivolum,
pertaesus en caeli patentis
sol trepidat reparare portum.
declinat aestas; ut refluum mare;
retro sequaces semper eunt dies
nigris resorbendi cavernis,
quas gelidam sibi bruma sedem
seclusit. at qui temperat omnia,
prudens eodem dirigit ordine
mortalia ut sensim fugaci
vita fluat peragenda lapsu.
nos ista fallunt: poma iterum rubent,
Floraeque ut olim serta repullulant,

annosque nutritum per omnis
spem refugit posuisse pectus.
at tu, Neanthe, sis sapientior,
neu te caducam serta vel arbores
fructu gravescentis propinqui
immemorem faciant sepulchri.

II

QVIN tecta tandem frondea linquimus,
et praefluentis murmura rivoli;
nam sol fatigatus reliquit
alta poli petiitque portum.
aestas recedit; quisque sequens dies
summo retrorsum defluit aethere
tendens in obscuras cavernas,
qua glacies sibi bruma condit.
qui res gubernans imperio regit
omnes Creator, sic quoque providus
tardante declinare lapsu
vitam hominum Deus ipse iussit.
necdum monemur: poma rubent nova,
floresque ut olim se reserant novi;
notasque iampridem recusant
delicias hebetare corda.
primaeva virgo, sis sapientior:
occasus et quum tandem aderit tuus,
nec flosculi ditesve rami
fata tibi subitura celent.

S. L.

303 *For thou wert born of woman, thou didst come*

ERGO faemineo Deus
dignabare satus semine sordibus
gentes visere perditas;
haud qualis superi templa tenes poli

torquens fulmineas faces:
  nec te praeveniunt terror et impii
ultrices sceleris minae:
  sed nudam sobolem casta puerpera
ad praesepe tenellulam
  sic e virgineo deposuit sinu.
non te desuper ambiit
  nubes aureolo lucida fulgure;
nec circa domini caput
  colluxere faces sidereae Dei;
unum cernere erat procul
  sidus per liquidum deveniens polum;
Eous duce quo magus
  lactentis pueri ut poneret ad pedes
venit turea munera,
  votivisque adiit numen honoribus.
304 Non tellus siluit neque
  concentum obstipuit stelligeri chori
undis compositis mare:
  nec cantus hilaris caelituum parat
adventante Deo cohors:
  non caelum fidibus multisonis strepit,
delenitave nubila
  fervent mille lyris; una adeo cohors
blandos adgreditur modos,
  et sperata diu munera gentibus
paucis ruricolis canit.
  terris idem abiens ad supera atria,
non saeptus radiis rota
  flammante inveheris; cernere non erat
alis tristia pendulis
  maerentem domini vulnera (pro! scelus)
gentem pennigeram Dei.
  Tecum non animis hinc libuit piis

exempta sceleris lue,
  unus quippe potest terrigenum trabi
affixus miserae latro,
  una sidereas ire comes domos.

H. A. H.

306 *Risest thou thus dim dawn again*

INCERTIS iterum nata crepusculis,
  aurora, ex avium gutture carmina
  excitique frequentis
    mugitus pecoris moves,
quo me flos hominum destituit dies?
qui ferrugineo lumine rivoli
  in summa tremis unda,
    dum per pascua turbidus,
quae tempus redolent praeteritum, fugit
per saltusque sacros luce carentibus.
  tu sub culmine crebris
    obtecto foliis strepis
venturae immemores tristitiae modos
autumnique, comis hic licet invidus
  iam raro rubicundis
    ardentem iniciat manum.
tu, dulci rediens milibus halitu,
passim terrigenum in pectora nuptias
  et natus neque paucis
    mortem tristior evocas.
O quacumque polorum inter inertiam
ignoti lateant, hos hodie mihi
  fido pectore fratres
    communis numerat dolor.

W. C. G.

II

TALI, aurora, iterum nasceris omine?
  importuna adeo voce avium redis

mugituque boum, maesta mihi dies
  qua terris hominum decus
et flos interiit? nunc rutilum iubar
vibras in tremulo gurgite rivoli,
qua desiderium prata movent, movent
  sacrae manibus arbores.
ceu secura mali, nunc leve murmuras
per frondosa laris, neclegis et minas
autumni arboreis qui vagus igneum
  impressit digitum comis.
multis, qui Cereris munere vescimur,
ad mentem revocat spiritus hic tuus
natalemve diem aut cum face flammeum,
  multis fata sodalium,
quorum pars ego sum. quotquot iners habet
hinc atque inde polus, iungitis hac die
concordes animae, quamlibet insciae,
  sollemnem querimoniam.

H. A. H.

307 *Fair ship that from the Italian shore*

O QVAE per placidos litore ab Italo
  tractus oceani reliquias mei
Arturi revehis, pulchra ratis, precor
  plenis adpropera domum
velis, ut referas heu lacrimantibus
frustra. sic tumeant carbasa prosperis
auris, sic per aquas urna faventibus
  ducatur sacra fluctibus:
nec te nocte truci flamine torqueat
labentem boreas, donec amabilis
tamquam noster amor Lucifer aureo
  tangat lumine rosidam
proram mane redux. vos quoque sidera
adridete super: dormiat et polus

et venti placidum, ceu placidus premit
  cari nunc oculos sopor
qui desiderio non dabitur meo,
aetatis viduae dum rota volvitur,
ut mater suboli suavis, amabiles
  quam fratres mihi suavior.

W. S. W.

II

NAVIS, per placidi maris
  undas Ausonio litore deferens
tristes reliquias, precor
  tendas plena redux carbasa, prospero
sic vento revehas domum
  illum quem lacrimis flevimus irritis;
sic cursu propero voles,
  ut fracta trepidet malus imagine
fissi per speculum maris,
  et fausto cineres unda vehat sinu.
per noctem imperiosior
  flatus ne teneat puppis iter tuae,
dum puris procul emicans
  qualis noster amor Lucifer ignibus
primo lumine rosidos
  iam surgente die despiciat foros.
sic te lucida sidera
  spectent innumeris orbibus: ad tuam
puppim mollior occupet
  pacatos requies aetheris halitus,
qualem carpit amabiles
  per somnos animae dimidium meae!
a carum caput! irrito
  te desiderio lumina quaeritant
horas dum viduas traho;
  ut matrem pietas te mea respicit;

nec fraternus amor sibi
  novit corda pari stringere vinculo.

H. S.*

III

NAVIS, reliquias quae tibi creditas
  dilecti a! nimium per placida aequora
litus respiciens transvehis Italum,
  plenos pande precor sinus:
nostrum et redde suis vana dolentibus:
sic mali pelago supter imaginem
inversam horrificans det zephyrus vada
  urnam levia pervehi.
sic te nec boreas urgeat infremens
tota nocte, novo candida dum dies,
ut non noster amor candidior, trabem
  tingat lumine rosidam:
sic prorae faveat quotquot habet polus
circum sidereas adglomerans faces:
et ventus facilis dormiat, ut meus
  dormit pars animae meae:
quem non ante datur visere quam mihi
decursi fuerint heu viduo dies,
qui nato ut genetrix carus eras, eras
  frater fratre placens magis.

H. A. H.

308 *How happy is he born and taught*

FELIX hunc genuit dies,
  felix erudiit dies,
qui non alterius timet
nutum, cui clipeus fides,
cui summa ars mera veritas:
quem non imperio premit
vis effrena cupidinum:
qui se praedocuit mori:

quem non sollicitudine
aurarum popularium
sermonisve domestici
devinctum sibi vita habet:
qui non civibus invidet
si quos nequitia evehat
fortunaeve licentia:
qui non urere callida
novit laude, nec aulicas
artes instituit sequi,
sed quas dat sapientia:
qui famam procul amovet:
quem mentis sibi consciae
recti praesidium tegit:
qui non stans parasiticae
turbae praeda futurus est,
non lapsus dominantibus:
hunc non opprimit ordinis
spes summi, timor infimi:
hunc si non dominum voces
agrorum, at dominus sui est,
et quamvis caret omnibus,
idem possidet omnia.

J. C.

II

BEATUS est qui sponte seu doctus sapit
obtemperare nemini:
honesta cui mens clipeus est aheneus,
ars summa simplex veritas;
qui non minorem se gerit libidine,
mortem paratus temnere;
nec servit aurae publicae nimis neque
sermonibus domesticis;

non aemulatur ille quos evexerit
  fortuna seu fraus altius;
nescitque quam laus volnus asperum paret,
  nec utile antefert bono.
rumoris expers ille vivit, unica
  confisus innocentia;
parasitus illi frustra adulari velit,
  frustra tyrannus opprimat;
sperat nec altiora nec casum timet,
  utrumque servili modo;
si non agrorum degit at sui potens,
  habetque habens nil omnia.

H. A. H.

310 *They sin who tell us love can die*

PECCANT, amorem qui memorant mori:
  mortale pectus cetera quae movent
  cum vita marcescit caduca,
    diffugiunt, tenuis caterva.
exclusa caelo est ambitio, neque
Hades avaro parcit inhospitus:
  libidinum exhaustae catervae
    terrigenae pereunt ibidem.
sed nulla amorem pernicies manet:
caelo profectus caelum amor expetit;
  focisque inexhaustis amoris
    perpetuo sacer ardet ignis.
terrae inquietus saepius advena
fraudes iniquas et patitur dolos:
  deponit hic labes vetustas,
    ingenitae monumenta sordis.
perfectum amori sed datur otium
inter beatas caelicolum domos:
  sementis hic laboriosa,
    ast ibi messis amor metenda est.

* * * *

G. B.

316 *IN VITAE BREVITATEM*

QVID relinquendos, moriture, nummos,
sarcinas vitae fugiture, quaeris:
si relinquendos: dominum relincunt
saepe priores.
quid struis pulchros thalamos in altum
membra sub terra positurus ima,
conserens hortos sed in omne tempus
ipse serendus?
num tuas te res agitare credis?
esse te frugalem? aliis laboras
servus infelix, aliena curas
ardalio ingens.
longa momento meditantur uno,
dum senes rebus venientis aevi
lineae puncto brevis in supremo
acrius instant.
iure formicae cumulant acervos
providae et brumae memores futurae,
sed male aestivas eadem deceret
cura cicadas.
317 Gloriae mendax nitor atque honorum
posset excusare suos amantes
si diem vitae valuisset, ut sol,
pingere totum.
at brevem post se sonitum relinquens
fulguris ritu, simul ac videtur,
transit illustri loca multa inaurans
non sine damno.
o rudis pulchrae prope contuenti
scena fortunae, tenuis superba
ore larvato, lacrimaeque pictae
iridis instar!

magna contemnens miseransque magnos,
invidens nulli, minime invidendus
vive, Coulei: lege tuta parva
litora cymba.
hospitem caelique imitare alaudam;
sis licet nubes super ire cantu
doctus, in terris humilem memento
ponere nidum.

ABRAHAMVS COWLEY, *A. S.* 1618

322 *IN PRIMVLAM VERIS*

O MITIS atri progenies patris,
forma decorum cui tenui caput
vis saeva nutrivit procellae,
composuitque Aquilo cubili,
te, cum resistens ver hiemi ferae
cieret audax proelia, dexterae
victricis obliquam per herbam
constituit memorem, reducta
convalle ut anni primitiae novi
in frigidas tu germina panderes
auras et ignotae decorem
hic premeres sine labe formae:
sic educata et saepius impetu
rerum sinistro clarior enitet
virtus, et obscuram viarum
extulit os humilis per umbram:
quocumque vento concutitur dea,
stat castiori pectore fortior,
discitque fortunam vicesque
aequo animo tolerare vitae.

W. R.

329 *LAPPO AD DOMINAM*

LAETE Sol, cuius nova lux amatam
rusticas nympham vocat ad choreas,
pelle de caelo nebulas et Orram
siste videndam:
quae mihi si se ferat intuenti,
scanderem pini tremulum cacumen
unde lustrarem vigili puellam
laetus ocello.
qua cubas? silvae quibus in latebris
Orra, dic, molli resupina somno?
quae negat visum dominae iacebit
stirpitus arbor.
aura me nimbi vehat, aura, curru,
meque cornicis per inane pennae,
vos proco cygnique ciconiaeque
addite cursum.
quid diu votis, mea lux, negaris?
interim aestatis perit hora laetae:
nec tamen frigus moror aut tenebras
vimque procellae,
nil potest ferri superare robur,
ast amor vinclo ligat artiore:
membra vis stringit chalybis, sed artat
corda cupido:
desinam curae: prius ambigenti
praestat: absentis pereamne amore
an petam demens? age, quid moraris
pergere ad Orram?

H. A. H.

II

EN umquam feriet purpureum iubar
nobis cara procul flumina? frondibus
en dilecta remotis
longe prospiciam loca?
a! si qua mea lux floribus aviis
circumfusa iacet, cernere erit semel,
altae culmina pinus
temptabo, foliis neque
parcam vere novo laeta virentibus;
quam vellem gremio nubis in arduo
notas visere ripas
iucundi zephyri darent.
sperandi satis est: eripe te morae
neu dulces pereant immeritae dies
votis ominibusque
tabenti et vigili prece.

* * * * *

IOANNES KEBLE, *A. S.* 1844

III

SOL oriens, cuius mea nato in lumine virgo
ludi silvestres ardet inire choros;
aëra dimoveas noctisque superstitis umbram,
rursus ut ante oculos rideat Orra meos.
ille meus, si spectandae spes certa puellae,
extremum pini culmen adiret amor,
plurimus excusso cui ramus in aethere nutat,
semper fervidius pasceret unde iecur.
Orra ubi nostra iaces? quae te tenuere latebrae?
quae te sopitam silva maligna tegit?
eruerem iratus truncos radicibus imis,
promissum a visu qui rapuere iubar.

o utinam nebularum equitarem aut fulguris ala,
  aut mihi se cornix suppeditaret avem,
cygne, brevi maneas pronoque, ciconia, tergo
  et nostram pennis praecipitate viam.
sponsa nimis trepidat, nimis irrita vota recusat,
  aestatis celeri labitur hora fuga:
nec tamen hic metuo pluvialis frigida brumae
  flamina, nec turpes nox dabit aegra moras:
quis nisu vires chalybis torquere laboret?
  et graviora tamen vincula nectit amor.
membra quidem chalybis retinacula dura coercent:
  crudus amor tristi compede corda ligat.
quare igitur vana exagites praecordia cura?
  praestat, ubi fervent pectora, cura prior:
pergamne insomnis? moriturusne, Orra, manebo?
  in dominae amplexus ocius ite, pedes.

NELSONVS KERR, *A. S.* 1802

339 *AD DIVINAM SAPIENTIAM*

O MENS, quae stabili fata regis vice,
  ut nos pulchra tui seria consili,
  an te nostra vicissim
    delectent, age, ludicra?
nam tu cum varia spargis opes manu,
effusas lepido non sine iurgio
  raptamus, puerorum
    sparsas turba velut nuces.
hic cum sceptra capit, frangit; hic antequam
gestet, fracta videt. fluctuat heu miser
  alternaque potentum
    mundus diripitur manu.
punctumst, sors avidis quod secat ensibus
inter tot populos. hoc precor unicum
  pauper: secum avidi dum
    pugnant, tecum ego rideam.

MATTHIAS CASIMIRVS SARBIEVIVS, *A. S.* 1620

342 *MONVMENTVM AERE PERENNIVS*

TANTUM pauca super scribere destino;
dicam deinde valere emeritus viris;
tantum horam remanens hic moror in brevem;
mox discedere fas mihi.
nil non demetis, et vix veterum sinis
stare, aetas, monumentum: hei mihi plurimi
confuse in tumulis inlacrymabiles
putrescunt sine gloria.
exegi en lapidem iam mihi vividum;
illum nulla dies invida proruet:
turris nunc alii quaslibet extruant:
hic spes, pyramis hic mea.

S. L.

344 *IN TVMVLVM CELEBERRIMI POETAE IACOBI THOMSON*

DORMIT hoc vates pius in sepulchro
labitur lentis ubi flumen undis,
optimos caro feret hic poetae
annus odores.
qua susurrantis calami moventur,
Aeoli dulcis lyra nunc iacebit:
semper ut quicumque dolet serenam
diligat umbram.
virgines hic et pueri morantes
audient chordas procul excitari;
et sonos credent memorare quendam
rure sepultum.
marginem nec Mnemosyne relinquet
fert ut aestivas Thamesis corollas;
sed iubens pendere reverberantem
flumina remum,

'sit tuae' dicet 'requies favillae!'
otioque et divitiis potiti
cum nemus vernum repetent, videntis
candida templi
culmina in scena varia dolebunt:
sed nihil possunt lacrimae iuvare,
carbaso quas praetereunte tectas
fundat amicus,
345 te sub herboso tumulo iacentem.
si tamen vivit tibi qui sepulchrum
pallidum spernat, miser ille laetos
nesciat annos,
nesciat mentis iubar: o fluentum
triste desertumque, tuae quod omnis
naiades fugere, procul, citatis
o procul undis
me geras, colles ubi non virentis
frigidasque herbas videam, sodalem
quae meum condunt. fugit ecce vallis
pulchra; tenebras
nox refert: rursum valeas! propago
blanda naturae, valeas!—beatam
quae tuam fecere decora vitam
pascua, flebunt
funus indignum. pueri et puellae
rusticis texent tumulum coronis,
quas tuae simplex manus adparabit
gratior umbrae.
saepe maerentem lapis hic Britannum
attrahet, 'silvaeque! tegit poetam
hic lapis vestrum' madidis viator
dicet ocellis.

FRANCISCVS HODGSON, *A. S.* 1809

352 *VITAE BREVITATEM ESSE BENEFACTIS EXTENDENDAM*

QVAE tegit canas modo bruma valles,
sole vicinos iaculante montes,
deteget rursum. tibi cum nivosae
bruma senectae
in caput seris cecidit pruinis,
decidet numquam. cita fugit aetas,
fugit autumnus: fugient propinqui
tempora veris.
at tibi frigus capitique cani
semper haerebunt: neque multa nardus
nec parum gratum repetita dement
serta colorem.
una quem nobis dederat iuventus,
una te nobis rapiet senectus,
sed potes, Publi, geminare magna
saecula fama.
quem sui raptum gemuere cives
hic diu vixit. sibi quisque famam
scribat haeredem; rapiunt avarae
cetera lunae.

MATTHIAS CASIMIRVS SARBIEVIVS, *A. S.* 1620

353 *IDEM*

ESSET humanis aliquod levamen
cladibus, si res caderent eadem
qua mora surgunt: sed humant repente
celsa ruinae.
nil diu felix stetit: inquieta
urbium currunt hominumque fata:
totque vix horis iacuere, surgunt
regna quot annis.

casibus longum dedit ille tempus,
qui diem regnis satis eruendis
dixit: elato populos habent mo-
menta sub ictu.
parce crudeles, moriture Publi,
impio divos onerare questu:
densa vicinis nimium vagari
funera tectis.
quae tibi primum dedit hora nasci,
haec mori primum dedit. ille longum
vixit aeternum sibi qui merendo
vindicat aevom.

MATTHIAS CASIMIRVS SARBIEVIVS, *A. S.* 1620

354 *PSALMVS CXIV*

CUM sacra saevis Isacidum manus
exiret oris, terribilem procul
audivit aspexitque gentem
et refluum trepidavit aequor.
ut qui sequentes antevolans fuga
evasit hostes, stat procul arduo
de monte respectans et omnis
aure sonos bibit inquieta;
erexit undas sic mare turbidum,
ut signa vidit praetereuntia,
fluctusque pendentes utrimque
ut scopuli steterunt acuti.
crystallini non maenia limpida
mundi figura plus stabili manent,
ex elaborato nitentum
marmore consolidata aquarum.

non audet amnis ad mare progredi,
fontem revisit mentis inops suum:
  nato latebrosos recessus
    fons aperit gremiumque victo.
circum tremescunt culmina montium,
multusque collis montibus adsilit,
  ut matris abscondunt sub alis
    se teneri trepidantque pulli.
gaudere viso fluctivagum mare,
gaudere flumen nobile, nec fuit
  fugisse post montes fugaces
    mobilibus pudor ullus undis.
[Nobis nocebit nil fuga montium,
versi nocebit nil fuga fluminis,
  i flumen i formidolosum,
    et pavidi procul ite montes.
aequare summis ima valet Deus.
discent in altum plana tumescere
  vallesque turgescent ferentque
    attonito capita alta caelo.
fontemque flumen si repetis tuum,
fontem refundet dura silix novom;
  nec saxa cessabunt nec ipsae
    flumina suppeditare rupes.]

ABRAHAMVS COWLEY, *A. S.* 1628

361 *The glories of our blood and state*

CULTUS decori, nobilitas, genus
  sunt vana rerum nomina, nec datur
  armisque loricaque dura
    adveniens pepulisse fatum:
frigente reges mors subigit manu,
sceptro cadendum est et diademate,
  in pulvere aequandis ligoni
    agricolae miseraeque falci.

sunt qui patentis ense metunt agros,
laurusque terras per vacuas serunt,
  vis maior at tandem coercet
    dedere se validos lacertos.
virum domat vir scilicet invicem,
fato domantur serius ocius,
  captos ubi expirare cogit
    pallida mors tenui susurro.
siccae coronae temporibus cadunt,
ne forte iactes quae bene gesseris,
  fit victor altari cruento
    victima nil miserantis Orci.
omnes eodem cogimur: omnibus
frigens sepulcri sorte domus datur,
  at sola sub terra piorum
    floret adhuc redoletque virtus.

W. D.

II

SANGUINIS excelsi maiestatisque superbae
  gloria res cassi est nominis, umbra fugax.
nil facit in fatum clipeus. mors aequa tyrannis
  imponet gelidas imposuitque manus;
sceptra ruent, regale decus; diademata regum
  turpiter exitio collabefacta ruent.
scilicet exiguo sub pulvere victa putrescent
  pauper ubi sordet falx, ubi rastra iacent:
mortifero miles gladio sibi demetat arvom,
  laureolamque super strage recente serat.
at cedet virtus, nervorum robora cedent;
  qui domet, alterna morte domandus erit.
Parca moratura veniat seu praepete penna,
  irruet et duro sub pede colla premet.
ponet anhelantem supremo murmure vitam,
  pallida cum mortis victima serpet iter.

actum est: et gelida marcent in fronte corollae;
i, iactata prius robora, lingua, tace:
en ubi purpuream mortis tremibundus ad aram
victima perfuso sanguine victor adest.
heu capita adveniant aliquando ad busta necessest;
membraque frigenti pondere laedat humus:
vivit et in tumulo iustorum gloria; iustis
floret et ipse suo spirat odore cinis.

G. C.

363 *Gone are the glorious Greeks of old*

VIXERE Grai: gens vetus occidit
quis mentis index voltus erat: solo
sepulta commiscentur ossa,
pulvere nec caruere venti.
solae supersunt temporis exitu
vivo resectae marmore imagines;
artemque cum diis Pelasgis
in cineres abiisse monstrant.
sed myrtus illic floret, ut antea,
spargit nitentis rivos aquas: neque
regum sepultorum feraces
destituunt cineres corollae:
natura fingit quam prius edidit
frontem: severam et Martis imaginem
reddit, Plataeensem procellam
quae patriis opibus refregit.
olim tueri docte tuum puer
caelum serenis Hellados in plagis,
malas ubi infuscavit aura
solque oculis tibi fulsit ardens,
tali renascens pube iterum viget
maerens ademptis Hellas honoribus,
resurgit ut vitis propago
qua vegeta siluere gentes.

G. B.

370 *HIRVNDO NVNTIA*

PERGE quae trepida meridiana
advolas loca, perge, hirundo, penna,
nostraeque aureolos subi penates
haec suspiria nuntians amantis.
dic illi (tibi nempe nota caeli
indoles utriusque) dic, hirundo,
illic omnia fervida et caduca
et saeva esse nimis, sed hic pudorem
imisque implicitam fidem medullis.
si possem socius tui volatus
caros ipse lares adire, hirundo,
illic ad dominam usque pipilarem
quantumst ore meo strepens amorum.
o si essem similis tui, receptum
me nempe ut gremio suum teneret:
o si me niveis foveret ipsa
in cunis, animam libenter illic
ponerem: quid enim vetat morantem
in desiderium indui novellum,
sicut fraxinus in virente silva
maturum negat indui virorem?
dic illi 'soboles mea evolavit;
carpo hic delicias parumper, illic
nidus texitur altero sub axe.'
aevom quam breve, quam brevis calescat
hic Titan, memora nitorque lunae
illic quam brevis; ast amoris ignem
non esse hoc breve sed diu calere.
en linque auricomas, hirundo, silvas:
si qua concilies mihi puellam:
usque argutula pipila, fritinni:
dic praenuntia 'mox et ipse viset.'

H. A. H.

II

Ω τὴν ἀπ᾽ Ἄρκτου ταχυπετῆ ψαίρουσ᾽ ὁδὸν
ξουθὴ χελιδών, σπεῦδέ μοι ποτωμένη
πρὸς τὴν ἐμὴν δέσποιναν, ἐπὶ δὲ χρυσέαις
ὀροφαῖς ἐφιζάνουσα φιλοφρονοῦσ᾽ ἐμοὶ
ἄγγελλ᾽ ἐκείνῃ πάνθ᾽ ἅ σοι κἀγὼ λέγω.
λέξον, χελιδών, ἥτις οὐκ ἄπειρος εἶ
τῶν πρὸς νότου τε τῶν τε προσβόρρων τόπων,
τὸν μὲν φανῆναι λαμπρὸν αὐθάδη ταχύν,
τὸν δ᾽ αὖ σκοτεινὸν φίλιον ἀψευδῆ φύσιν.
εἰ γάρ, χελιδών, ἦν ἐμοὶ ξυνάορον
τῆς σῆς πορείας, στάντα πρὸς κείνης δόμον,
παντοῖ ἀείδειν αἰολόστομον μέλη,
τρισμυρίους ἔρωτας ἀναμετρούμενον.
εἶθ᾽ ἦν ὃς εἶ σύ, δωμάτων ὑπόστεγον
κόλποις ἵν᾽ ἐκτρέφοι με, καὶ γένοιτό μοι
στέρνοισιν ἐγκλιθέντα παλλεύκοις κόρης
θανεῖν πρὸς αὐτῆς καρδίας δινούμενον.
οἴμοι, τί μέλλει θαλερὸν ἱμέρῳ κέαρ
ἐπισκιάζειν, μειλίνου πτόρθου δίκην,
ὃς αἰὲν ἐν χλωραῖσιν ὑστερῶν νάπαις
μέλλει τέρεινον ἀμφιβάλλεσθαι κόμην.
τοὺς σοὺς νεοσσοὺς οἶκον ἐκλελοιπέναι
λέξον, χελιδών, τοιάδ᾽ ἀγγέλλουσά μοι,
μόνον τρυφῶσάν σ᾽ ἐν μεσημβρίᾳ μένειν,
βορέᾳ δὲ παιδοποιὸν ἀσκῆσαι βίον.
λέξον, βραχὺς μὲν βίοτος ἀλλ᾽ ἔρως μακρός,
βραχύς τ᾽ ἐν Ἄρκτῳ θερινὸς ἡλίου δρόμος,
καὶ φῶς σελήνης ἐν μεσημβρίᾳ βραχύ.
ὕλης ἀπαλλαχθεῖσα χρυσήρους φόβης
πέτου πρὸς αὐτήν, προσποίει, μνήστευέ νιν
ᾄδουσα, καί σου μή με λείψεσθαι λέγε.

F. A. P.

375 *AD PACEM*

O QVAM nefando crinibus aureis
ex hoste raptis ala fidelium
pernix columbarum revexit
in superas, tua regna, sedes,
cum iam remotis e regionibus
Mavors adegit litora voltures
Britanna ferratosque currus
horribiles glomerans procellas:
at feriato proruerit die
duri iuventus impatiens iugi
delubra, Gradivique tristem
igne sacro violarit aedem.
fastidiosam, quae bibis orbium
cantus vagantum, cui reseres sono
aurem? quis optatum salutet,
pax, reditum? precor, huc resurgas
revincta laesos incuta vestium
nodos chorea non sine lucida:
en stratus advectae Britannus
crura Leo tua lambet ore
iam sanctioris conscius imperi.
captare risum fas aliis brevem,
ast occidentalis ad oras
cuspide Honor positoque telo
deducet: una maenia portuum
festo salutantum omine personent,
ut foedus aeternes in aevom
sponsa viro sociata digno.

377 *In a drear-nighted December*

HORREANT, arbos, tenebrae Decembris;
at, quater fausto Iove, te vietam
nulla fortunae speciosioris
cura remordet.

sibilans tutis aquilo minatur
grandinem ramis: male pertinaci
stringit amplexu glacialis umor
vere novandos.
rive, contristet fera bruma noctes;
tu tamen, dulci nimis use fato,
non memor spumas calido decori
sidere Phoebi,
quin remulcentis patiens veterni
vitrea parcas trepidare lympha,
nescius pigrae vicis insolenter
ferre catenam.
virgines o si iuvenesque nuper
fervidi lethen biberent eandem!
sed quis angori moderetur orbus
deliciarum?
'unde quo veni?' dolor ingementis,
nulla quem vincit medicina, nullus
decipit torpor, quibus exprimatur
carmina desunt.

R. C. J.

382 *NON SI MALE NVNC ET OLIM SIC ERIT*

EOS puniceis vecta rotis polum
umentem ambrosiis spargit odoribus
cum ver dulce susurris
blandis invocat ambiens:
Aprilis viridans dum caput exerit
et laxans tepidos floriferae sinus
telluris redivivis
vestit prata coloribus
nuper sub gelida delituit nive
naturae facies aspera conspici;
tristis torpuit ales
pigro muta silentio.

at cantu vario iam trepidat nemus,
dum nidum volucris quaeque parans suum
venturi inscia gaudet,
gaudet praeteriti immemor.
mens sola est hominis quae male gaudium
praesens consiliis inficit anxiis:
ille et facta recenset
vitae et crastina prospicit.
383 Risus qui rigidas tristitiae genas
mulserunt recolit mens, lacrimantia
luctus suaviter ornans
maestis ora decoribus;
dum spes grata bonas praecipiens vices
maeroris picei nubila dissipat,
venturaeque diei
praevisa irradiat face:
qua luxus roseum ducit iter, pedes
cognatus sequitur maeror euntium:
dum vestigia curae
solamen premit insequens.
tandem laetitiae clarior emicat
lux curae piceis tincta coloribus,
certans fingere vitae
aeterna harmoniam vice.
quem dudum invalidis artubus improbi
vis morbi assiduo detinuit toro,
si fors integra rursus
vires restituat salus,
hunc florum recreat gratior halitus;
huic cantus avium blandius insonant:
auras aethera solem
nunc ipsum Elysium putat.

L. WAY, *A. S.* 1789

391 *LAVS OTII RELIGIOSI*

AT cum sereno fulserit dies Iove
aprilibusque feriis,
assueta caelo lumina in terras vocat
lateque prospectum iacit,
camposque lustrat et relucentem sua
miratur in scena Deum.
'en omnis' inquit 'herba non morantibus
in astra luctatur comis:
semota caelo lacrimantur et piis
licuntur arva fletibus:
ligustra canis et rosae rubentibus
repunt in oras bracchiis:
astrisque panda nescio quid pallido
locuntur ore lilia:
seroque blandis ingemunt suspiriis
et mane rorant lacrimis.
an solus ipse, solus in terris piger
tenace figor pondere?'
sic et propinquas allocutus arbores
et multa coram fontibus
rivisque fatus quaerit auctorem Deum
formosa per vestigia.
392 Posthaec vel inter laeta quercetis iuga
vel inter amnes iuverit
vitare tristis post meridiem notos
sub aesculo vel ilice;
nigrumve litus aut opaca lubricis
tranare stagna lintribus,
iactaque fruge ludibundum ducere
tremente piscem linea.
remugit ingens interim tauris nemus,
umbrosa balant flumina,

et aut in antris garriunt acanthides
  aut in rubis lusciniae.
hinc per rubeta pastor errantes capras
  vocante cogit fistula:
illinc erili messor e campo redux
  alterna plaudit carmina,
et pressa suetos plaustra per sulcos gemunt
  ruptura ruris horrea.

M. C. SARBIEVIVS, *A. S.* 1618

395 *MILES CHRISTIANVS*
EMERITIS STIPENDIIS EXAVCTORATVS

'MILES egisti bene Christiane;
  missus in caelum cape gratulantis
laeta post pugnas, operum solutus,
  dona Magistri:'

nocte vox seros cecinit receptus;
sublevans sese, feriente telo,
fortis immoto periisse voltu
  oppetit heros:

nempe sopitum media inter arma
pulsat obtectum clipeo sagitta,
quem superiectae crucis excubantem
  consecrat umbra;

caede conspersum gladium recenti
corripit dextra, scopulos acuto
qui vel obstantes Domino iubente
  differat ictu;

arte caelesti duplices recusus
incutit plagas, ubicunque vivo
ossa perrumpens simul et medullas
  fulminet igni;

tristis infensis, reficit Salutem
paenitet si quos; acuit querellas,
arbiter pacis simul et duelli,
summovet idem.

396 saepe divina metuenda lamna
dextra pugnaces scelerum catervas
fregit, invictoque aliena cursu
propulit arma.

gloriae tantum studiosus artes
reppulit volgi; Domini tropaeis
cuncta suffixit spolia interempto
hoste relucens.

nocte vox sera insonuit 'paratum
Christus adventat:' celer intuentem
prospicit vita fugiente Regem;
tum prece fidens

spiritus claustris animosus artis
exilit; ruptis resoluta velis
procidunt leto quatiente tecta
solis ad ortum.

mortis ingentes siluere luctus,
desinit vitae simul et laborum,
bella componens animus reperta
pace quiescit.

miles, o factum bene, Christiane!
sorte iam versa manet otiosum
te beatorum chorus et perennis
gaudia caeli.

H. K.

400 *CARMEN IN VIRTVTEM*

O QVAE fatigas mille laboribus
mortale corpus, qua dat honestius
nil vita quaerenti, deorum
progenies, generosa Virtus!
te pulchriorem Tyndaridem petit
armata multo Graecia milite,
non illa declinare mortem
sueta nec indomitos labores:
tam grata forti munera dexterae
praebere nosti, quis neque carius
habetur aurum nec parentes
nec placidi levis aura somni.
te propter olim non piger Hercules
Ledaque nati saeva pericula
hausere, si qua te tuisque
roboribus poterentur arte.
quin igne fervens Aeacides tuo
Aiaxque sedes attigit inferas:
te dum colebat, rex Atarnei
aetherias viduavit auras:
hinc tollet illum Mnemosyne sata
ad astra dulci carmine nobilem,
quae laude ritus hospitales
ornat amicitiamque firmam.

J. C.

II

QVAM per labores quaerit humanum genus
vitae supremam lauream,
intacta Virtus! te super vel emori
est invidendum in Hellade,
est invidendus omnis aerumnae modus:
qua dote felicem beas

amica mentem, quae neque eripi potest
  et vincit auri laminam
mollique somno ridet ipsa mollior
  vicesque natorum obtinet.
te si tenere posset et vires tuas,
  quid non ferebat Hercules?
quid non gemellus Castor et Pollux pugil?
  quamquam ille prognatus Iove,
hi matre Leda parta proles audiunt.
  quin ivit Orcinas fores
Telamonis Aiax impetusque Achillei,
  uterque te desiderans.
te, te super iam sole vitali caret
  alumnus ipse Atarneos;
quem laudat et laudabit orta Memoria
  novena Musarum cohors;
dum saepe tollunt hospitem cantu Iovem et
  fidi decus sodaliti.

H. C. G. M.

III

RECTE vel nimio labore constans
  et quovis pretio petenda Virtus;
te propter, dea pulchra, te iubente
Grais dulce mori, nihil labores,
et tristis nihil expavere casus.
tu saevo vetitum perire leto
semen mentibus inseris beatum;
prae quo spernitur et superba gaza
et dulcis sopor et boni parentes.
te propter Iove prosati supremo
Alcmenae soboles genusque Ledae
tot casus subiere, tot pericla,
quid possent avidi docere factis.
te propter facibus tuis calentes

Aiax inclutus et ferox Achilles
iverunt Stygias videre portas.
propter dulce tuae decus iuventae
praeclari generosa stirps Atarnei
decrevit radiis carere Phoebi;
quem nunc carmine nescio perire
in laudem Iovis hospitis celebrant
proles Mnemosynes novem Camenae.

HVGO GROTIVS

IV

VIRTUS labore dos emenda plurimo,
et palma qua nil pulchrius
opimiusve quaeritur mortalibus,
propter venustatem tuam
quodvis subire casuum vel emori
sors invidenda Graeciae;
perenne semen mentibus quod inseris
auro vel ipso ditius,
nec somnus illo blandior nec dulcius
natis parentum caritas;
te propter ipso cretus Alcides Iove
quid non laborum pertulit,
Ledaeque proles, si bonis robur tuum
aequare possent artibus?
te Thetidis arsit, arsit Aeaci genus,
o virginum pulcherrima,
tuoque amore Ditis attigit domos:
tui decoris appetens
iam rex Atarnei luce Phoebea caret,
quem Musa non sinet mori,
rite hospitalis dum canit laudem Iovis
firmamque amicorum fidem.

H. A. H.

401 *CYRENE VENATRIX*

[CUIUS insignis soboles Cyrene
bracchiis lucens teretique sura]
non manum attrivit studiis Minervae et
deside tela:
non ei molles placuere cenae
inter ornatas comites nitenti,
saepe sed pilis rutilis vel ense
aspera virgo
fudit horrentem violenter aprum
aut lupum tristem, patriis timores
bobus avertens ovibusque donans
otia tutis.
rarus aurora redeunte somnus
virginem arcano tenuit cubili,
sed iuga et montes habuere primo
sole vagantem.
quoque momento pharetratus illam
Cynthius vidit, Dryas in leonem
sola pugnabat manibus capessens
proelia nudis.
nec gravi telo velut ante freta:
hoc stupens caeli iaculator acer
Thessali saltus nemorisque regem
voce vocavit
'huc ades, Chiron venerande, et antro
exiens mirare viraginis cor
ferreum, mirare novas omissa
cuspide vires:
quale certamen gerit: ut laborum
neclegens, ut mente ferox virili
nympha, nec pectus dubio pavorum
fluctuat aestu.

unde, quo virgo sata dic parente
masculis fidens nimium lacertis?
quae domus? quae gens? nigra possidenti
lustra ferarum.'

NICOLAVS SUDORIVS, *A. S.* 1582

403 *HERCVLES INFANS*

FAMA est Alcidem simul Iphiclumque gemello
enixu fugisse parentis
viscera et aetherias caeli venisse sub auras,
sed fratrum generosior alter
falsiparens mox est oculis signatus iniquis
iratae Iunonis, ut aureas
ingressus cunas iacuit: gravis unde noverca
femineo furiata dolore
immisit pueris geminos crudeliter angues,
quis aedes patuere reclusae:
atque hi continuo thalami in penetralia lapsi
caeruleis vincire parabant
nexibus infantes rapidisque absumere malis:
sed rectum opposuit caput unus
et puer in primae veniens discrimina pugnae
ambabus manibus velut arta
forcipe compressit tumidorum colla draconum:
sicque elisis faucibus ater
spiritus erumpens liventia membra reliquit
vitali defecta calore.
obstipuere nurus quibus aegra puerpera curae:
quin Alcmena cito pede mater
nuda toro exiliit, saevis ut pignora monstris
eriperet pestique propinquae.
404 necnon accurrere duces longo ordine Grai
armorum fulgore micantis,
Amphitryo imprimis stricto celer affuit ense
tristitia confixus acuta:

quippe omnes sua damna gemunt, alienaque nullo
respiciunt incommoda luctu.
ut vero elisos anguis nova robora nati
intuitus pater atque retextum
rumorem, hic totis exhorruit artubus anceps
laetitia mistoque timore;
ergo Tiresiam cunctis e vatibus unum
rectiloquo fata ore canentem
rex ad se vocat. ast illi Danaumque catervis
mox sapiens edisserit augur,
qui puerum expectent casus, quae monstra sit olim
et terra domiturus et undis.
quendam etiam obliquo gradientem calle tyrannum
Herculeae iam destinat hastae.
adicit et divos quandoque gigantibus altis
bellantes Phlegraea per arva
Alcidae sibi iuncturos socialia tela,
quorum effusa grandine densi
Titanes pereant, tellusque infecta rubescat
volneribus sanieque suorum.
tum canit heroi valido post mille labores
postque decus sudoribus emptum
otia portendi et tranquillae gaudia vitae
non vicibus mutanda nec annis.
tum memorat quae sit rerum miracula caelo
visurus novus aetheris hospes:
utque sit in sedes illi ducenda beatas
inque torum formosa Iuventa,
postquam hilaris sponsus Iovis intra tecta recumbens
se dapibus satiarit Olympi.

NICOLAVS SVDORIVS, *A. S.* 1582

405 *CAMPI ELYSII*

AT pii cura procul et labore
aëris semper nitida fruuntur
luce, nec terram feriunt aratris
nec mare rostris :
paene caelestes, gemitusque et omnis
nescii luctus, rota dum citato
orbe periuros agit et nocentum
membra laborant.
tertia quod si vice iam renati
quipiam insontes placidique semper
vixerint, illis aperit beatas
Iuppiter oras,
in quibus leves zephyri virentem
insulam perflant variosque flores
procreat tellus, alit arbor, udus
irrigat amnis.
hinc pii sumunt capiti coronas,
bracchiis texunt manibusque serta,
postquam odorata Rhadamanthus illos
valle recepit.
namque Saturni solio hic verendus
assidet iudex [comitesque iuncti
Cadmus et Peleus Thetidisque cura ad-
lectus Achilles.]

N. SVDORIVS, *A. S.* 1582

406 ΤΆ ΜΈΝ ΚΑΤ᾽ ΟἼΚΟΥϹ ἐΦ᾽ ἑϹΤΊΑϹ ἄΧΗ

NON sola sordet flebiliter querens
desideratam regia coniugem:
sed cura sed luctus ubique
per trepidam dominantur urbem

405 Videsis infra 428

ob proeliatos Argolica procul
tellure amicos; nulla vacat domus
maerore, nec paucae gementum
sollicitant animos querellae.
frustra profectos quisque memor suos
suspirat eheu: nam reducum focus
nil praeter algentem virorum
excipiet patrius favillam.
Mavors duelli qui trutinam tenet,
qui mutat auro corpora, ab Ilio
remisit has solas amicis
reliquias. 'cinis en in arta
urna refertur conditus, hic probe
edoctus acrem militiam, toros
propter maritalis fidemque
ille animam posuisse fortis:'
haec voce caeca flens aliquis refert:
mox furtim Atridas insinuans dolor
causatur auctores malorum
et fremitum duplicatque questus.

H. A. H.

409 Χρυσέα φόρμιγξ Ἀπόλλωνος καὶ ἰοπλοκάμων

TESTUDO filis apta nitentibus,
quam rite servat Pieridum chorus,
tu cantilenam tu sequaces
egregia regis arte gressus:
perculsa plectro leniter aureo
pronum corusci fulminis impetum
tu sistis aeternaeque flammae
praecipites moderaris ictus.
alis relapsis fusa Iovis super
sceptro volucris regia vincitur
sopore praedulci carentque
rostra minis oculique flammis.

quin Mars reponens spicula fervida
post pulverem certaminis ardui
oblectat, o Phoebea proles,
corda tuo truculenta cantu.
at quos benigno numine Iuppiter
non vidit, illos, carminis audiant
siquando divini levamen,
horror agit pavidusque luctus:
qualis Typhoeus sub barathro iacens
imo supremis improba centiceps
quod bella divis intulisset
Haemonio genitus sub antro:
quem nunc ligatum Cuma cubat super,
pectusque setis comprimit horridum
columna caeli quae perenni
stat glacie nivis Aetna nutrix.

THOMAS WARTON, *A. S.* 1802

II

FLAVI supellex aurea Cynthii,
grata et sororum dos Aganippidum,
testudo dulcis, quae choreis
imperitas agilis iuventae;
cui cantus et vox paret, ubi sonum
percussa primum mittis in aëra:
tu fulgur extinguis coruscum,
tu rapidum Iovis una fulmen
iramque placas: quin aquila alitum
regina per te molliter accubans
sceptro Tonantis mox sopore
labitur et patulas utrimque
extendit alas: hanc superi vident,
cum nigra nubes lumina condidit
languenti et irrepsit per artus
blanda quies saliente pulsu,

dorsum erigentem lenitér ac tuis
iacere victam vocibus: horrifer
  Mars ipse te laetum sonante
    depositis recreatur armis.
mulcent beatos carmina caelites
Phoebo atque Musis plectra moventibus:
  at quos deum regnator odit
    Iuppiter, hi numeros tremescunt
terris et undis omnibus anxii:
talis Typhoeus incola centiceps
  lugentis orci, fabuloso
    quem Cilicum genitum sub antro
nunc alta Cumarum oraque Trinacris,
villosa setis pectora contegens,
  et fulciens caelum nivosis
    Aetna iugis cohibent frementem.

NICOLAVS SVDORIVS, *A. S.* 1582

III

AUREA testudo, Phoebi suavissima semper
  gloria Pieridumque, pedum te mobilis audit
gratia et harmoniae qui laetus foedera servat
cantor, ubi festam nervo trepidante choream
suavisonumque cies tremula dulcedine carmen.
tu potis es tela ardentis compescere flammae,
indomitum caeli fulmen: quin ipse Tonantis
composito dormit capite et pendentibus alis
sceptra super regalis avis: tu rostra profunda
nube tegens densa consopis lumina nocte;
ille sedet placidum et dulci mollissima somno
terga levat lente, perculsus corda tua vi.
namque et tela manu deponens aspera Mavors
pacificam melico demulcet carmine mentem;
carmine quod grata devincit compede divos,

blandus honos Musarum et Apollinis alma voluptas.
sed quos infesto aspexit Saturnius ore
terga super terrae aut late spumantia ponti
caerula, non ulla poteris mulcere camenae
blanditia: non saeva iacet qui Tartara supter
dis formidatum centena mole Typhoea,
olim quem Cilicum notae genuere cavernae,
at nunc Cumarum resonantia litora fluctu
oceani hirsutumque premit Trinacria pectus.
mole sub aeria rupes Aetnaea iacentem
continet, aeternae nutrix asperrima brumae.

GVLIELMVS HERBERT, *A. S.* 1801

411 *IAMVS*

[INTERIM Evadne patulis sub umbris
arborum zonam posuit simulque
hydriam auratam, superisque castum e-
nixa puellum est.

debili nymphae placidam Dianam
reddidit Phoebus facilisque Parcas;]
ilico et nascens Iamus paterna
lumina vidit.

sed solo liquit viridi iacentem
icta vesano genetrix timore
et duo desertum aluere dulci
melle dracones

(sic deis visum), rediensque Delphis
Aepytus partum petiit recentem
tristis Evadnae, aetherii quod infans
seminis esset:

quodque ei Phoebus propria dedisset
arte venturos aperire casus
atque mansuram Danaas per urbes
spargere gentem.

at sibi cuncti puerum negarunt
cognitum visu, licet ille quinos
Cynthiae implesset redeuntis orbes
abditus herbis,

inque humo verna recubans odoris
floribus circum violisque tectus
unde ei clarum posuere nomen
indice matre.

verum ubi pubes Iami decentis
ambiit malas, et avom et parentem
ille sub noctem medio rogavit
Elidis amni

ut darent quoddam sibi munus artis
inclutae vitamque hominum iuvantis;
nec diu texit genitor paternum
Phoebus amorem.

'nam statim, fili generose, montem'
dixit 'ascendas populis futurum
undique accitis celebrem et virorum
laude superbum.'

NICOLAVS SVDORIVS, *A. S.* 1582

412 *AD COLVM MVNERI MISSAM*

DONUM caeruleae, fuse, deae, non operum piger,
matrum fide comes quas moveat cura domestica,
mecum ne paveas ad celebrem visere Neleï
urbem, qua Veneris templa virent propter arundines.
illuc nempe rogo flabra fluant imperio Patris;
illic suaviolum suaviolo, Nicia mi, tuo
iungam, progenies o Charitum dulce loquentium:
caelatique eboris filiolum sic liceat colum
per longum pelagus ferre tuae, Nicia, coniugi;
vestimenta viris qui properet cum domina sua

multis et tegumen lucida bombycina mulierum.
at matres pecudum bis spoliet vellere pensili
hornas upilio, Theugenidi quod sat erit bonae:
tanta est sedulitas illius et mens operae memor.
non te vellem equidem, fuse, domum desidia pigram
immissum, ipse mea qui venias ortus ab insula:
nam te terra creat quam celeber condidit Archias,
lumen Trinacriae, nobilium plena domus virum.
nunc sortitus ut es tecta viri qui miseros levat
morbo saepe homines utilium vi medicaminum,
Miletum placidam, fuse, coles inter Iaonas;
omnes ut superet nostra colos Theugenis omnium,
et vatis maneat perpetuo sic memor hospitis:
hoc dicente aliquo 'magna brevi munere gratia
empta est, omnia sunt in pretio dona sodalium.'

H. C. G. M.

415 *CERTAMEN OB DEIANIRAM*

TU, diva victrix Cypria, lauream
semper reportas. quid tamen attinet
divos et insuetos amores
caelicolûm sociare plectro?
qua fraude patrem vincis et invidum
Ditem sub umbris grata necessitas,
saevumque Neptunum coercet
aptus amor facili catena:
quamquam ille terram funditus horrido
tridente versat. nos potius decent
humana quaesitumque lectum
per gladios memorare nymphae.
o quantus instat pulveris impetus,
quanto excitantur turbine proelia!
hâc parte grassatur frementis
vis fluvii, specieque tauri

vestita frontem cornibus induit.
contra hunc Tonantis stat suboles patris
invicta, qui clavis et hasta,
qui volucri metuendus arcu
Cadmi relictis turribus imminet
velox in hostem. sola sedet Venus,
pulchraque subridet iuventa
arbitrio fruitura palmae.
tum dextra dextrae, tum pedibus pedes,
et tela multa caede tonantia
miscentur et cornuta tauri
tempora praecipitesque nisus:
neque obviarum proelia frontium
nec verba desunt plena tumultibus:
et clamor et vicina tristis
antra bibunt strepitum ruinae.
sed nympha, tanti laurea sanguinis,
imbuta malas nectare gratiae
expectat incertum mariti
coniugium dubiique Martis
vestigat ictus lumine languido,
mox rapta matris ceu vitula uberi
vagatur, amplexus parentis
deseruit fugitiva virgo.

MARMADVCVS LAWSON, *A. S.* 1813

417 *ELECTRAE QVERELLA*

O PURA lux et didite per plagas
telluris aër, quot mihi flebilis
cantus, quot audivistis ictus
pectoribus resonare laesis,
cum mox tenebras detraheret suas;
at vos, perosa lectule cum domo
infauste, vos testes vocabo
quae miseram excubiae fatigent.

haec sunt parenti debita, barbarus
quem non remoto Mars domuit solo,
sed mater Aegisthusque foedi
coniugii socius securi
stravere adacta per caput ilicis
instar recisae. sola ego te, Pater,
heu sola deflevi, nefandis
insidiis misere peremptum:
non ingementis vox mea, non tibi
haec deerit umquam lacrima, dum diem
spectare, dum caeli licebit
sideribus radiantis axem.
me nil vetabit quominus haec fores
iuxta paternas tristia proferam,
qualis flet amissos querella
assidua Philomela fetus.

421 Ἅρματα μὲν τάδε λαμπρα τεθρίππων

VECTUS quadriiugis sol, age, curribus
terras purpureo lumine conserit,
stellarum aufugiunt quidquid erat polo
in noctis tenebras sacrae.
Parnassi en apices, scandere quo nefas,
caram terrigenis excipiunt facem:
eia! rite preces solvite numini,
matutinus adest labor:
iam per fana vapor tureus evolat,
insidens tripodi iussa canit dei
Phoebas Graiugenis: ite satellites,
ite ad Castalias aquas,
et loti tenero fonte revisite
fanum; neve malo quis vetet omine
scitatum veniunt quotquot Apollinem,
sed lingua faveat bona.

nobis, quo pueri munere fungimur
iamdudum, teneris verrere laureis
Cirrhaeumque sacris spargere roribus
curae limen erit domus:
infestasque avium, ne noceant sacris,
pennas letifera pellere arundine,
orbatus patribus nempe libens dei
nutrici famulor domo.

H. A. H.

423 *TROIAE SVPREMVM LABOREM*

[HEU occidisti funditus, Ilion:
non iam superbum, patria, verticem
invicta iactabis nec altas
iura dabis Phrygiae per urbes.
heu! occidisti: nube Pelasgica
cingit iacentem perque tuas domos
ferroque vastatas et igni
torva tuens spatiatur hostis:
Neptuniarum culmina turrium
lugubris atra labe tegit cinis:
actum est; nec antiquas parentum
fas iterum peragrare sedes.
nox saeva, nox me perdidit invida
dulcesque serpens post epulas sopor:
securus in lecto maritus
carminibus choreaque sacra
fessum levabat corpus; et immemor
pendentis hastae credidit hostibus
fugisse visis, et peractos
urbis ovans meminit labores.]
at ipsa formaeque et speculo vacans
per colla fusas purpurea comas
mitra cöercebam, iugali
molle caput positura lecto.

sed ecce dirus maenia personat
turbata clamor; 'vadite, vadite
  Troia triumphata superbi
    ad patrias Danai Mycenas,
tum paene nudo corpore virginis
instar Lacaenae destituo torum,
  supplexque nequiquam pudicae
    assideo genibus Dianae.
viso mariti funere turbidas
longe per undas oceani trahor:
  navisque cum victrix tetendit
    vela noto nimium secundo,
divisa caro litore patriae
urbisque lapsas respiciens domos
  heu mente defeci et severo
    procubui superata luctu.

IOANNES LONSDALE, *A. S.* 1809

428 *For whoso holds in righteousness the throne*

QVAE poena Manes torqueat impios
  qui mente regnum possidet integra
  agnovit, horrendo tenebris
    carcere Tartareaque flamma
clausos: tacendum magnus ubi sedens
regnum per umbras arbiter omnium
  exercet, humanasque mentes
    iudicio retegit tremendo.
sed qui relicta luce inamabilis
ter regna Ditis viderit innocens,
  utroque ter mundo probati
    cui fuerint sine labe mores,
ille ille caeli purpuream viam
emensus arces Temporis inclytas
  inviset aeterni, benignas
    oceanus quibus afflat auras,

et flos beatis multus in insulis
nunc flumen auro discolor innatans
ornare gaudet, nunc rubores
occidui referens diei
silvae virentes fulgere per comas:
hinc serta texunt; hinc manibus legunt
ramos triumphalemque rite
quis tribuis, Rhadamanthe, laurum.

C. B. S.

433 *SOLIS ANIMI BONIS NOS BELLVIS PRAESTARE*

NON Hydaspeis, Arimine, gemmis,
non domus flava laqueata cedro,
aurei torrens neque te beatum
fecerit Hermi.
mitte sectari, quis amoena praeter
prata non parco fluat amnis auro:
sit satis virtus animosa sedes
visere divom.
alter effultos adamante muros
tollat aut caesas Sipylo columnas,
fossor inspecta styge quas revolso
subruat orco.
ditior silvis habitat Sabaeis
ales eois renovata bustis:
ditior gemmis rutilo vagatur
piscis Hydaspe.
alter eois variam lapillis
subliget zona retinente pallam;
alter insignes Tyrio lacertos
vinciat ostro.
gratius leves variavit alas
sparsa nativis philomela guttis:
pulchrius Thressae maculosa pingunt
pectora lynces.

una mortalis numero ferarum
eximit virtus, volucerque notas
siderum sedes animus solutis
visere pennis.

M. C. SARBIEVIVS, *A. S.* 1620

434 *NE PLVS AEQVO DE ADVERSA FORTVNA QVERATVR*

INDIGNAS, Lyce, naenias
et maestum gemitu pectus et hispidis
frontem nubibus expedi,
cum sol non solito lumine riserit,
et fortuna volubilis
fati difficilem iecerit aleam.
quod vexant hodie noti,
cras lambent hilaris aequor Etesiae:
maestum sol hodie caput,
cras laetum roseo promet ab aequore.
alterno redeunt choro
risus et gemitus et madidis prope
sicci cum lacrimis ioci.
nascuntur mediis gaudia luctibus.
sic fatis placitum: suis
tempestiva fluunt fata periculis.
fessos duxit heri boves,
dat magnis hodie iura quiritibus;
et quae bobus ademerat
imponit Gabiis et Curibus iuga.
idem Phosphorus aspicit
magnum, quem tenuem viderat Hesperus:
quod si seria ludicris
fortunae placeat texere, rusticus
hesternam repetet casam,
ridentis populi non humilis iocus;

et quis rexerat omnia
  findet laurigeris ligna securibus:
quod si defuerit salix
  fasces purpureis subiciet focis.

M. C. SARBIEVIVS, *A. S.* 1620

436 *There is a single stone above yon wave*

Ἐστί τις ὀκριόεσσα μέσῳ ἔνι οἴνοπι πόντῳ
  νῆσος, ἁλιρροθίοις ἀντίτυπος μανίαις·
θαῦμα δ' ἔχω, τὶ παθοῦσα βυθῶν φιλεῖ ἐξ ἀκαμάντων
  οἰκτρὰ μινυρόμενον κῦμα διασκέδασαι.
λυγρὰ δὲ φυκιόεντα καθ' εἵματα χεῦ' Ἐνοσίχθων
  οὔτε τόπον σταφυλαῖς οὔτ' ἀρότοισι λιπών.
ὦ πέτρη στονόεσσα, νέον δέ σοι ἔρχεται οὐδέν,
  πλὴν γ' ἀπ' ἀμοιβαίης Ὠκεανοῖο ῥοῆς,
πάντων τ' ἄμμορος ἐσσί, βρότους ὅσα τέρπει ἀκουῇ
  κοὔτε χόρους ἀΐεις οὔτε γέλωτα νέων.
οὐ στέφος ἀνθεμόεν σε περίσταται, οὔ σοι ἀηδὼν
  ἧσέ ποτ'· εἶτα βίος σ' οὐκ ἀβίωτος ἔχει;
ἀλλα καὶ ὡς ὅ γ' ἄπειρος ὑπέρτερος ἀστερολαμπὴς
  αἰὲν ὑπὲρ κεφαλῆς οὐρανὸς ἐκτέταται,
ὅσσοι τ' ἀστέρες εἰσί, τόσαι χθόνες, ἄσπετοι αἰέν,
  αἰὲν ἀπημάντῳ χρώμεναι ἡσυχίῃ·
οἱ δέ σοι ἄμφ' ἅλιον στόρεσαν λέχος, ἣν δὲ γαλήνη,
  κἀκ κεφαλῆς δ' ἀγανὴν πνεῦσαν ἀπημοσύνην.
τοῖόν τοι καὶ κεῖνος ἔχει βίον αἰὲν ἀτερπῆ
  πᾶν κακὸν ἐξαντλῶν νήγρετον ὥσπερ ὄναρ,
φροῦδα δὲ κήδεα πάντα, βρότων δέ γ' ἀπ' οὐδενὸς ἐλπίς,
  χηρευθείς τε μένει δρῦς ἅτε φυλλοβόλος.
ἀλλ' ἔμπης καὶ τῷδε πάρα στίχος Οὐρανιώνων
  καὶ χρῆταί γε Διὸς τοῦ φιλίου φιλίῃ,
καὶ τὸ μαθὼν ἐχάρη, πόσον ὠφελεῖ ἄλγεα πάσχειν
  εἰδέ τ' ἐφ' ἡσυχίης πάντα θεῷ πίσυνος.

R. K. W.

452 *IN ALAVDAM*

MECUM scande volans caerula nubium,
magna voce canens, usque canens vola:
duc me, suavis alauda,
caelum carmine personans,
dum visam tibi qui sic placeat locum;
tam deserta diu tristia permeo,
aegrum cor mihi languet:
at siquis mihi caelitum
pennas indueret, me tibi iungerem;
nam dulcis furor est cantibus in tuis:
duc me, duc ubi caelum
pura te recreat dape.
aurora levior, laetior ébrio
cum risu volitas: sed placidus tibi
est cum coniuge nidus:
nolles quas ego prosequi
errabunda vias, strenua quamlibet,
felix, montivago flumine fortior,
gratas omnipotenti
laudes rite canis Deo.
felices ego sim tuque! sed asperos
per dumos mihi, per squalida pulvere
et spinosa vagandum:
esto: te tamen audiens,
te coetusque tuos, par tibi gaudium
sumam, tollam animum liber in aethera;
vitae spe melioris
huius taedia perferam.

C. R. KENNEDY

460 *Sweetest love, I do not go*

NON istis propero cedere bracchiis
pertaesus veneris, lux mea, pristinae:
sperabo meliores
flammas o ubi gentium?
ast Orco quoniam denique lugubri
parendum fuerit, praestat adhuc meo
sic illudere fato et
fictis funeribus mori.
qui discessit heri sol hodie suos
ignes restituit; nec tamen huic amor
nec sensus neque nostrae
cursus dimidius viae.
ergo ne timeas, sed celeri magis
carpturum reditu me reputes iter,
plures quod mihi pennae,
maior quod stimulus subest.
o quam terrigenum vana potentia,
quis fortuna procax si breve riserit
horam nec licet addant
nec lapsam revocent diem.
at fati acciderit casus iniquior,
huic ipsi proprium iungimus impetum,
et cum viribus artem
qua nos urgeat addimus.
tu ne mille mihi prospicias mala
praesago nimium pectore, ni tuae
fatum congruat arti et
praestet quae male contremis.
nos tantum requie compositos brevi
seiunxisse putes Morphea: mutuam
qui spirant sibi vitam
nullus dissociat dies.

470 *SOLITVDO*

ARBORES salvete bonaeque silvae,
civitas felix avium innocentum,
regna Musarum, sacra rusticantum
villa deorum!
hic mihi aestivo domus apta sole,
pulchra naturae domus architecti:
quis trabem excisam prius aestimabit
arbore viva?
hic iacens vestris temere hic sub umbris
audiam supra zephyros volantes
cumque fecundis bene disputantes
frondibus auras.
[o sacrum risum iuvenilis anni,
cum calor totos penetrans per artus
fertilem pubem veneremque adulti
suscitat orbis.]
audiam hic proni per aprica collis
luce turgentes liquidisque gemmis,
dulce ridentes properare rivos,
dulce loquentes.
esse qui secum nequit occupatus
aut laborabit miser ille vitae
taedio aut caras male collocabit
prodigus horas.
[tu Deum longis comitata saeclis,
sola tu rerum, sacra solitudo,
antequam trunco numerorum abiret
arbor ab uno.]
impetus mentis nimium evagantes
instar aurigae cohibes periti
et iubes pulchrum breviore gyro
claudere cursum.

languidos mentis fluidae colores
et nimis multum spatii occupantes
rite constringensque fovensque pulchros
elicis ignes.

ABRAHAMVS COWLEY, *A. S.* 1618

471 *AD LIBERTATEM*

QVISNAM Lacaenae flamina tibiae
vates ciebit? quis gravibus sonis
fusis iuventutem capillis
ad patrias revocabit artes?
olim decoros crine hyacinthino,
virtutem olentes atque simul metum,
divina libertas amabat
dis genitos recreare plausu.
musis amicus quis novos abditum
Alcaeus ensem tegmine myrteo
cantabit, ut ferrum parumper
Pallados arce sacra lateret
(insigniendo quis locus aptior
facto), retecto dum dea fulgure
ignis cieret, nec morando
promeritum cohiberet ictum,
dein emicaret fortior. O dea,
utcumque sacro corda silentio
solvontur acceptura nostra
qui cithara sonitus resultent,
luctus sepultos et lacrimas, precor,
lyrae potestas ne vaga suscitet:
scis dia libertas, tacebo
ut Latii caput ante voltus
illacrimantes corrueret tuos:
quanta et ruina gens rudis artium
fulcro giganteam superbo
deriperet statuam revolsam:

quando nivosis partibus editam
praedae rapacem progeniem dies
ultrix cieret, ne quid esset
Phidiacae specimen superstes
artis: Minervam seu rueret Iovem
securus, ictum barbarus addidit
victor triumphatisque saxi
fragminibus ferus eiulavit.

G. B.

474 *In doubtful twilight nature sleeps*

VIX tristis dubia luce rubet polus;
circum cuncta silent. solus ego his vagor
incerto pede silvis
et mecum vigilans amor.
crudelis fugies Iulia? turbido
credes te pelago? nos fera dividens
inter saeviet unda et
venti spes rapient meas?
sic, me sic poteras ludere credulum?
sic promissa cadunt? ipsa tamen time: et
venti fallere norunt
nec servat pelagus fidem.

IOANNES IORTIN, *A. S.* 1748

480 *Swiftly walk over the western wave*

DIVE qui sceptrum regis alme noctis,
udus eoo properes ab antro,
vesper, incedens super occidentis
ocius undas
qua minax nobis et amatus idem,
luminis quidquid teritur diurni,
diceris nectens mala temperare
somnia laetis.

tu, precor, cursu venias citato,
caerula stellis humeros amictus
veste distincta et sine lege passis
colla capillis:
tegmen obducas oculis diei,
osculisque urgens male demorantem
obruas nuptam: vagus inde forti
concitus ala
per maris tractus spatiumque terrae
cuncta perlustrans hominum sopora,
o diu votis repetite, mentes
imbue virga.

* * * *

J. Y. S.

482 *AD BLYTHVM AMNEM*

TU qui strepente supter, amnis, gurgite
paterna lambis praedia,
inter reluctantes lapillos ad mare
iter minutum dividens:
tu scilicet per prata ut olim volveris,
non ista sed mens est mihi,
olim quae erat fluenta cum propter tua
securus errabam puer,
horas inertes, imputandas vix reor,
fallens labore ineptulo!
seu congerebam flexuoso in margine
quos sistit unda calculos,
pedes lubebat seu magis tenellulos
frigente lympha tingere,
aquatiles seu forte inescarem incolas,
opima iactans praemia!
curis peribant his dies inanibus,
nunquam heu reversuri dies!

heri puer eram, cras futurus sum senex;
  sic annus annum dimovet,
et irremisso pede dies urget diem;
  velociore non quidem
tuae loquaces sata per et silvas aquae
  volvontur in vastum mare.
quin aufer hinc tecum pelagus in turbidum
  longe aufer has curas, precor,
et rite pergas sospitare flumine
  circumfluo nostram domum.

NEWTONVS OGLE, *A. S.* 1764

486 *ORPHEVS ET SIRENES*

'HUC feriantes ibimus, ibimus,
  ridens amoenum quo vocat insula,
  paulisper obliti laboris
    praeteriti simul ac futuri;
et mox refecti corpora obibimus
rursus laborem, si superest labor,
  rursusque pectemus marinam
    praepete canitiem carina?'
quo dia proles tenditis, immemor
famae prioris, sanguinis immemor?
  quid voltis? at quondam pigebit
    degeneres maculasse nomen.
blandis sed illi vocibus illicum
iam iamque prensant litora creduli;
  fractis nec advertere foedam
    undique navigiis harenam,
aut visa nullos incutiunt metus:
neque usta ventis, usta caloribus,
  quis omnis albescebat ora
    ossa monent revocare gressum.

* * * *

H. A. H.

487 *Of holier joy he sang, more true delight*

CARMINE tum dulci sanctissima gaudia narrat,
et laetiores insulas, regna beata, canit;
saecula quo migrent, fuerit quibus ardua cordi
virtus fidesque firmior purpureusque pudor:
utque illic lente circumsona murmuret unda
et conditas beatior mulceat aura domos,
atque ut decidui splendescant lumine solis
plaga occidentis quum sacro picta rubore micet;
atque extra nostrae nebulosa crepuscula noctis
ut semper illis gemmea rideat aethra die:
necnon sub pedibus quantum festiva rosarum
succrescat usque sedibus purpura in Elysiis;
utque bonis aureas liceat contingere sedes,
dulcedine et levissima tempus in omne frui,
utque viris detur per dia palatia caeli
manus deorum splendidis implicuisse choris!

* * * *

F. W. F.

II

LAETITIAM vates puram, servataque caelo
sub meliore canit gaudia vera viris:
cura quibus constans recti, dum vita manebat,
nec mollis virtus nec maculata fides:
ut placidam circum terram, secreta piorum,
lenior oceani spiritus usque volet:
qua rubra decidui solis splendore refuso
ora procul sacrae tingitur Hesperiae.
qualis et has extra nebulas noctemque beatis
semper inauranti splendeat orbe dies:
qualis in aeternum per mollia prata rosarum
florescat verno purpura nata solo:

tranquillamque domum canit, auratasque patere
virtuti sedes praemia proposita:
mortalis suboles ubi non mortalia sumat,
mixtaque divinis audeat ire choris.

* * * * *

H. S.

488 *AD ORNATISSIMAM PVELLAM*

VANAE sit arti, sit studio modus,
formosa virgo; sit speculo quies,
curamque quaerendi decoris
mitte, supervacuosque cultus.
ut fortuitis verna coloribus
distincta volgo rura magis placent,
nec invident horto nitenti
divitias operosiores;
lenique fons cum murmure pulchrior
obliquat ultro praecipitem fugam et
inter reluctantes lapillos
ducit aquas temere insequentes:
ut fontium inter murmura et arborum
lenes susurros dulce sonant aves,
et arte nulla gratiores
ingeminant sine lege cantus:
nativa sic te gratia, te nitor
simplex decebit, te veneres tuae;
nudus Cupido suspicatur
artifices nimis adparatus.
ergo fluentem tu male sedula
ne saeva inuras semper acu comam:
neu sparsa odorato nitentis
pulvere dedecores capillos;
quales nec olim vel Ptolemaeia
iactabat uxor, sidereo in choro
utcumque devotae refulgent
verticis exuviae decori;

nec diva mater, cum similem tuae
mentita formam et pulchrior aspici
permisit incomptas protervis
fusa comas agitare ventis.

ROBERTVS LOWTH, *A. S.* 1734

489 *NVNC OMNE TIBI STRATVM SILET AEQVOR*

HORRISONUS cesset Boreas; audite coloni,
et socii nautae vos mala dura maris;
fluctibus a rapidis, grandi qui mole moventur,
certant aetheriis qua freta iniqua plagis,
turbinibus dubiis obnoxia turba vagamur,
in montes avidi dum tumet ira sali.
audin ut increpitat puppi Palinurus ab alta
'dirigite antennas, carbasus alta cadat;
crebrescunt flatus: quid opus formidine? nulli
mutetur vultus: spes sibi quisque sua est:'
nunc omnes, plumas inter quos Sardanapali
nescio quid pavidos continet alma Venus,
(nos ululat circa graviore procella tumultu)
possideat quantus nos, reputate, timor.
saevior, et magis ater adest ex aethere turbo,
flagitat et rursum nunc Palinurus opem;
'porrigite ad ventum, pueri, pede vela secundo,
ne sit, tempestas si fit acerba, metus;
tempus in extremum citius loca cuncta parentur;
ferte manus alacres—vox iterata fremat.'—
nunc tonitru crebris mugitibus aëra complet,
nulli flumineo non caput imbre madet:
scintillant hebetantque trementes fulgura ocellos,
nautarum incertus pectora terror habet:
dum nos circumstant spumantis undique fluctus,
nos supra caelum, sole abeunte, nigret,
aure bibo rursus Palinuri in turbine vocem
'tormenta in rabidas proiciantur aquas;'

'praecipuus' clamant 'malus disrumpitur' omnes;
  'navis—aquae irrumpunt—est facienda minor:
'ne mora sit—certate viri—sentina levetur;
  id ni fit, nulli certa vel ulla salus.'
dum circa pinum fluctus bacchantur inermem,
  qui sensus nostris mentibus unus inest?
heu pro coniugibus, pro dulci prole dolemus,
  nulla fuga est, nulli spes reperire domum,
crescit adhuc incursus aquae; periere labores,
  in mediisque pedes quattuor ecce foris.
nos Deus a! miseros tueatur in aequore praesens,
  auxilii quoddam nil nisi Numen habet!

* * * * *

CAPEL LOFFT, *A. S.* 1790

491 *Or lead me where amid the tranquil vale*

AUT me per latebras vallis amabiles
  fractis duc ubi rivulis
argento similes praetereunt aquae:
  grato lentus ut otio
multam inter violam tramite in arduo
  surgentes zephyros queri,
et lenes strepitus ingruere audiam;
  nec me pervolitans nemus
fallat somnifero murmure cantharis,
  nec quae lumine corneo
lunae sub radiis luciferam procul
  ducit cochlea semitam,
nec quae inter frutices per tenebras nitet
  lampyris face vivida.

* * * * *

J. J. H.

493 *VATICINIVM EXCIDII TYRI*

IGNI corusco nubila dividens
Iehova claro ter tonuit polo,
Tyrumque casuram propheta
admonuit 'male feriaris

eheu futuri nescia: gaudium
fatale carpis, quid Solymas gravi
luctu laborantes superbo
insequeris malesana risu?

conviciorum desine; sat Sion
superque poenas iam dedit: at tibi
non lene caeli saevientis
supplicium minitatur ira.

utrimque vindex innumeras agit
Iehova gentes, agmina concitans
armata, ceu vasti furentes
oceani ciet eurus undas.

sternentur arces: praecipiti ruent
deiecta casu maenia, inutilis
moles iacebis, sicut alti
montis apex pelagive rupes.

regina nuper qua stetit urbium
Tyros superbo vertice, retia
piscator exsiccans apricis
culminibus spatiosa pandet.

iussu Tonantis rex Babylonicas
cogit phalangas: nec rapidam arietis
vim sustinebunt nec bipennis
assiduos tabulata pulsus.

quae cura matres, quantus aget dolor,
dum victor atro pulvere sordidus
captam triumphantis per urbem
urget equos volucremque currum;

civesque lapsis parcere nescium
prosternit agmen: divitiis Tyros
nudata traderis superbi
arbitrio spolianda regis.

dum fas choreis et citharae vaca,
fletura posthac: non iterum melos
audire vocum barbitonque
dulcisonos iterare cantus

licebit. eheu! non reparabili
devota casu, lugubre posteris
iacebis exemplar: viator
foeda gravis monumenta poenae

horrore tactus prospiciet: domos
regum revellent agmina. quos ibi
planctus repercussis gementum
vocibus ingeminabit echo!

quotquot propinqui finitimo tenent
succincta ponto litora principes,
terrore perculsi superbos
reicient humeris amictus,

foedoque crines pulvere collinent
humi iacentis: qualia supplices
ad vota decurrent, ruina
admoniti propiore gentis

nuper beatae: quam prius ultimae,
quascumque terras sol fovet, urbium
videre reginam potentem
divitiis dominamque ponti.

aequor procellas sentiet: insulae
repente quassis attonitae trement
radicibus quotquot sonante
oceanus redimivit unda.

secura qua nunc interitûs Tyros
ad astra tollis turrigerum caput:
Iehova nigrantis harenas
ultor aget rapidosque fluctus.'

— HARE, *A. S.* 1764

495 *CANTICVM ISAIAE XII*

FASSUS potentem dexteram, rex caelitum,
tuam canam clementiam;
adflixeras adactus irae turbine,
me nunc benignus recreas.
Deus ecce salvator meus, non terrear
in posterum, fidens agam.
Dominus mihi dat robur afferens decus,
et factus est mihi salus.
salvabit omnes: illius de fontibus
haurite aquas in gaudio.
dicetis, illa cum dies illuxerit,
domini canentis gloriam.
'eius referte inventa nationibus
terrae per orbem dissitis
hunc invocate, ab ore laudes fundite:
nam nomen eius inclutum.
cantate, nam praeclara patravit potens,
narrate mundi finibus:
lauda Sion, laetare: nam tibi favet
adestque sanctus Israel.'

MAPHAEVS BARBERINVS, *A. S.* 1598

496 *ISRAELITARVM EPINICION IN OCCASVM REGIS REGNIQVE BABYLONICI*

ERGO insolentis corruit imperi
insana moles? occidit urbium
regina victrix, nec subacto
effera iam dominatur orbi?

fastus tyranni contudit impios
Iehova vindex sceptraque ferrea:
qui verbere haud umquam remisso
fregit atrox populos gementes,

nunc ipse diras iure subit vices:
pacata tellus undique gaudio
exultat effraeni et solutos
ingeminat sine more cantus.

secura summis stat Libani in iugis
ridetque cedrus, 'sicne iaces, ferox!
iam nemo saevam, te iacente,
per nemorum dabit alta stragem.'

te propter imis concita sedibus
nigrantis Orci magna fremit domus:
en luce defunctos tyrannos,
sceptrigeros soliis ab altis

excivit umbras, hospitis in novi
occursum euntes. 'tene etiam' occupant
'te viribus, te luce cassum
conspicimus similemque nostri

orbumque fastu?' non comitum frequens
deducit ordo; non tuba, non lyrae
concentus, at squalentis Orci
nox premit et taciturnus horror:

at turba circum plurima vermium
fervet pererrans membra licentius,
foedumque tabo diffluentes
laeta cohors populatur artus.

ut decidisti caelitus agminis,
Eoe, clarum siderei decus!
  ut decidisti, qui domabas
    victor ovans populos trementes!

nuper minatus 'scandam ego nubila,
stabo Sionis culmine in arduo
  sublimis, et qua spectat arcton
    arce sacra solium locabo:

subiecta calcabo astra premens polum
terramque torquens numine, par Deo:'
  at dura te leti profundo
    vis cohibet barathro iacentem.

ac forte quisquam conspicit avio
deforme corpus litore: stat diu
  incertus admotoque pronus
    lumine te propius tuetur.

mox infit 'hic est quem fuga, quem pavor
praecessit, hic quem terricolis gravem
  strages secuta est vastitasque? hic
    attoniti spoliator orbis?

'indigna regum colla gravi iugo et
duris catenis subiicere insolens
  lateque diffusa ruina
    per laceras equitare gentes?'

reges tyrannique et validum ducum
manes superbi non sine gloria
  conduntur omnes et reposti
    sedibus in patriis quiescunt:

at te supremis mortis honoribus,
vili carentem munere pulveris,
  inter cadentum turpe volgus
    sordidum et indecorem sepulchris

egere avitis: te quia patriae
tuisque iniquum; te quia gentibus
fatale portentum. malorum
nullus honor cineres sequetur;

poena immerentes ob patrium scelus
natos manebit. funditus impiam
delete gentem, ne superbos
proroget ulterius triumphos:

namque 'ipse consurgam' Omnipotens ait
'et nomen extinguam Babylonium
stirpemque natosque ultimasque
reliquias generis nefandi;

urbemque diris alitibus dabo
ferisque habendam: vasta teget palus
demersam et aeterno profunda
obruet exitio vorago.'

dixit sacramentum inviolabile
Iehova: 'sic stat consilium; hic tenor
fatique non mutandus ordo,
terminus hic stabilis manebit:

frangam superbas montibus in meis
vires tyrannorum; eripiam truci
iugo laborantes, meorumque
ex umeris onus amovebo.'

Iehova dixit: quis dabit irritum?
gentes in omnes hanc Pater en manum
extendit: extentam Iehovae
quis poterit cohibere dextram?

ROBERTVS LOWTH, *A. S.* 1753

II

IO dolores et querimonias
turpisque luctus proice, proice,
Iudaea tellus, i superbum
tolle, Sion, rediviva culmen.
fregit potentem magna Dei manus
virgam tyranni, concidit urbium
regina victoresque reges
turpe solum tetigere mento.
iam nec relicti sanguine civium
tinguntur agri nec furor impius
impune grassatur per urbes
imperiis minitans ruinam.
victus cruento pulvere corruis;
iaces inultus: iam fragor arduus
residit armorum et solutus
servitio requiescit orbis.
cernis serenos laetior induit
ut terra voltus? cernis ut abietes
per montis exultant cacumen,
ut Libani decora alta cedri?
ipsae insolenti non sine murmure
silvae triumphant 'iam Babyloniam
ridemus illaesae securim,
nec viridi viduamur umbra.'
tibi barathro motus ab infimo
adsurgit orcus sceptrigeras ciens
circum catervas: te tyrannûm
purpureus veneratur ordo
ludum insolentem ludere pertinax:
'tene occupavit dura necessitas,
superbe victor, te sub umbras
vis rapit imperiosa leti?

496 aliam versionem vide in Fascic. IV p. 432

o ut recessit pompa minacium!
ut fracta virtus! Assyriae iacet
  regnator impastique vermes,
    foeda cohors, populantur artus?'
ut decidisti, splendide Lucifer,
eoa proles! occidit, occidit
  porrecta maiestas ab ortu
    solis ad Hesperium cubile.
at tu minari quidlibet impotens
tyranne nuper 'non ego longius
  morabor in terris sed arces
    aetherias liquidasque tangam
domos Iehovae; iam mihi maximus
Iehova cedet: me venerabitur
  prostrata tellus, me benigno
    ture colent precibusque gentes.'
dixti: furores sed minuit Deus:
nam te trisulcum fulmen ad infimas
  detrusit umbras et profundo
    lurida mors cohibet sub Orco.
fors et viator, solus inhospita
dum tesqua lustrat, flebile conspicit
  cadaver, inversamque sortem
    sic dubio meditatur ore;
'iacetne magnus sic Babylonius
regnator? hic est, qui modo proruit
  duces et exegit tyrannos;
    qui pavidum tremefecit orbem?'
atqui tyrannos magnificae tenent
in morte sedes: tu sine nomine
  putrescis, invisum cadaver,
    alitibus canibusque praeda;
nam nec sepulchri te patrii teget
augusta moles: nam neque laurea
  manes obumbrabit superbos,
    nec decoris monumenta seri

tropaea surgent: sed sine gloria
condentur omnes inlacrimabiles
  quicumque dextras immerentum
    sanguine commaculant tyranni.
i, stringe ferrum! morte luant scelus
nati parentum: 'non ego (quem genus
  mortale, quem caelestis ordo
    invocat) Omnipotens Creator,
'non cui rubescit fulmine dextera,
impune laesum conquerar impotens
  numen, sed extinguam nefandae
    nomina reliquiasque gentis;'
(Iehova dixit) 'qua Babylon caput
sublime nuper regia sustulit,
  hic stabit informis profundi
    unda lacus; laticesque foedos
inter palustris perstrepet ardea
lugubre plorans: improba senties
  tellus, quid indignata magni
    dextra Dei scelerumque vindex
Iehova possit: protinus et sacro
super Sionis culmine principes
  frangam superbos et minacem
    subiciam pedibus tyrannum:
surgetque tandem libera vinculis
Iudaea tellus: sic placitum mihi.'
  Iehova dixit: quis potentis
    consilium domini refringet?

— MADDOX, *A. S.* 1756

498 *DAVIDIS IN SAVLVM ET IONATHANVM THRENVS*

ERGONE magnanimi heröes, decus Israëlis,
  pro dolor! in patriis occubuere iugis?
fama Philistaeas a! ne pertingat ad urbes,
  neu Gatham tantae nuntia cladis eat;

hostis ut invisos agitet sine more triumphos,
  Iudaeisque nurus barbara laeta malis.
triste solum, Gilboa! tuis ne in montibus umquam
  vel ros vel pluviae decidat imber aquae.
nulla ferat primos aris tua messis honores:
  de grege lecta tuo victima nulla cadat!
qua scuta heröum, qua Sauli parma relictast,
  nequiquam heu! sacrum cui caput unxit onyx.
non sine caede virum Sauli prius hasta redibat;
  non Ionathani expers sanguinis arcus erat:
nobile par, quos iunxit amor, quos gloria iunxit,
  unaque nunc fato iungit acerba dies.
ut celeres vicere aquilas, validosque leones,
  viribus et cursu bella ciere pares!
at vos o Saulum Solymaeae flete puellae,
  qui dites vobis rettulit exuvias:
qui collo gemmas, qui textile vestibus aurum,
  coccina qui Tyria tincta bis arte dedit.
heu quianam heröum bello perit irrita virtus!
  montibus in patriis a! Ionathane iaces:
tu mihi, tu aeterno flendus, Ionathane, dolore
  occidis, heu misero frater adempte mihi!
heu pietas! heu rara fides et dulcia fesso
  alloquia! heu sanctae foedus amicitiae!
quae mihi in adversis tulerat nova gaudia rebus;
  gaudia, femineus quae dare nescit amor.
pro dolor! heu quianam duro in certamine belli
  fracta virum virtus armaque cassa iacent!

ROBERTVS LOWTH, *A. S.* 1753

II

VRBES et agri fundite
  lamenta, tristes sidera
ad alta voces tollite,
nostrum decus gens impia

extinxit, altis montibus
gens clara bello procidit;
ne fama, quaeso, compitis
haec Ascalonis aut Gathi
perfer, puellas hostium
ne tanta clades ad choros
cantusque laetos excitet.
abominata Gelboë,
nec ros nec imber educet
herbam tuam neque in tuis
iucunda vitis aut seges
pubescat umquam montibus;
hic heu relictis parmulis
phalanx piorum militum
fugata turpiter cadit,
hic dux cruento in pulvere
procumbit, ac si non foret
gentis piae rex inclutus.
sagitta numquam Ionathae,
cum saeva obiret proelia,
ictus ferebat irritos,
sagitta velox, fortium
potare docta sanguinem.
nec hostis umquam vel pede
vel equo tulit sese obvius
impune, cum Saules manu
ensem rotaret impigra,
Saules parens et Ionatha
parentis incluti decus,
vos non diremit impiae
vis dura mortis, copula
quos vita dulci iunxerat.
non fortior vobis leo
errat Libyssis vallibus
regina non avium ocior

vobis fugacem praepete
penna columbam persequens.
vos, o decorae virgines,
quas induebat coccina
rex veste, quas monilibus
ornabat aureis, date
vestro misellae lacrimas
regi, misellae tristibus
sonent querellis omnia.
ut militum ferocium
infracta virtus concidit,
ut, Ionatha fortissime,
in montibus tuis iaces
confossus alto volnere.
has fundo lacrimas tibi
et haec ab imo pectore
suspiria, o frater mihi
vel luce cara dulcior
amate Ionatha mihi,
quantum nec ardens candidam
amans puellam deperit,
quantum nec unicam parens
tenella natam diligit.
ut militum ferocium
infracta virtus concidit,
ut Ionathas acerrimus
parente cum fortissimo
in montibus caesus iacet.

M. ANTONIVS FLAMINIVS, *A. S.* 1530

III

QVANTO Israëlis gloria funere
non auspicatis concidit in iugis!
qua clade Iudaeae venustas
occubuit columenque gentis!

a ne superbam fama per Askalon,
Gathaeve circum compita, garrulis
narret Philistarum puellis,
non galeam clypeumve Saulum

texisse, vestis non adamantinae
tutamen, unctum non oleo caput;—
fractisque iam nervis iacere
fatiferum Ionathanis arcum.

iam nunc ovantum clamor ab hosticis
crebrescit aris, iam citharae strepunt:
cantuque Dagonem chorisque
virgineae celebrant catervae.

at tu cruento semper et ossibus
albente surges Gilboa vertice;
nec frugis herbarumque nutrix,
nec pluvios bibitura rores

infausta! tesquis scilicet in tuis
abiecta Sauli est parmula, turpiter
abiecta, regalemque dextram
desiliens gladius fefellit.

at olim opima caede madescere
consuevit ensis, magne socer, tuus;
praedaeque te certa bearunt
messe tuae, Ionathan, sagittae.

quid vestra possint tela Philistiae
sensere turmae; sensit Amalecus
Ammonque; vos nisu leonem,
vos aquilam superare cursu

sublatus olim rebus in asperis
acer iuventae spiritus impulit;
vos ipsa mors iunxit, perire
pro patria comites paratos.

lugete, Hebraeis matribus editae,
virtute functos Isacidum duces;
uterque vos gemmis, uterque
vos Tyrio decoravit ostro.

lugete foedo corpora principum
spectanda tabo, barbaricis procul
affixa delubris, furenti
ludibrium populo datura.

quis ense in armis non redimi volet
haec dira visu? quae iuvenum manus
ex hoste direptas sepulchro
reliquias patrio reponet?

adsunt, reducunt: vos tumulo citae
adeste; flores spargite; naeniis
favete, et his saltem receptos
muneribus cumulate manes;

qua strage Hebraei nominis occidit
fortuna! castris heu Ionathan nimis
confise montanis, ibidem
sacrilega cadis ictus hasta:

quae nunc, adempto te, Ionathan, fides,
quae nunc amoris credula mutui
spes restat? o dilecte plusquam
femineo Ionathan amore!

quanto Israëlis gloria funere
non auspicatis concidit in iugis!
qua strage bellorum ministra
cum dominis periere tela!

N. HARDINGE, *A. S.* 1756

499 *MOYSIS EPINICION*

GLORIAM caeli Domino canamus:
nam triumphalem referens honorem
hostium turmas equites equosque
obruit undis.
tu meum robur, mea laus decusque,
caelitum Rector: mihi tu potenti
dextera praebes opifer cupitae
dona salutis.
tu deus magnus, mea lux, parentis
tu mei numen columenque rerum;
te canet laudans mea vox tibique
tympana plaudent.
eius ut dux omnipotens in armis
nomen est: trudit Dominus phalanges
in mare et fractos Pharaonis axes
aequore mergit.
sicut absorptum petit ima saxum,
sic ducum primi et comites profundum
gurgitis rubri subiere hiatu
vorticis hausti.
viribus pollens tua dextra laudum
emicat pulchra specie; cohortes
stravit adversas: tua dextra saevos
perdidit hostes.
sic eos, tamquam stipulam per agros
flamma decurrens, tua devoravit
ira suspensos pelagi relaxans
flamine fluctus.

'unda stat pendens' inimicus inquit
'persequar, stringam gladium, perempti
concident passim, satiabor ultus
divite praeda.'
spiritus flavit tuus et repente
defluens hostes aqua praeliantis
mersit ut plumbum, maris et sub imo
condidit alveo.
quis, Deus, bello tibi conferendus
fortis? aut sanctus probitate par sit,
seu malos terres faciensve mira
protegis aequos?
ad tui nutum digiti dehiscens
impios tellus rapit et redemptus
te ducem sectans populus viarum
tuta capessit.
hac tuo ductu subiens ad aram,
quae tuum numen colit, ob dolorem
en! Philistaeos gemitu frementis
cernit et ira.
en! Moabitas timor occupavit:
principes Edom trepidant: tenentur
ceu gelu dura Chanaan coloni
compede vincti.
irruens ilios tua vis pavore
obprimat; donec pia gens tuorum
transeat tamquam silices rigentis
stent sine motu.
nos tui montis tribuas in aede
incolas poni, tibi quam parasti
artifex, sedes ubi te colendum
sacra moratur.
imperat victor Dominus superbos
conterens hostes: sibi dedicatae
astitit genti Deus et perenne
regnat in aevom.

in rubri fluctus Pharao quadrigas
intulit ponti: socios et arma
sustulit numen, solidi refusis
gurgitis undis.
Mempheos frendens periit tyrannus
mersus; at sicco pede transierunt
Israël nati medium recisi
per maris aequor.

MAPHAEVS BARBERINVS, *A. S.* 1598

II

FAS sit canenti tergeminis Deum
belli potentem tollere laudibus,
qui victor aeternos honores
Niliaco meruit triumpho.
vindex tyrannorum ille minacium
inauspicatos reppulit impetus
late superiecto fugaces
mersit equos equitesque ponto.
salutis auctor, dulce decus meum,
votiva supplex templa tibi struam,
nomenque laudabo timendum
gentibus oceanoque rubro.
videre magnos iam videor duces
trahentis ad se cuncta voraginis
sinu laborantes profundo
et trepidum Pharaona segni
curru frementem. diluvies super
urget ruinas; et lapidis modo
ad ima sidentes resorbens
unda freto rapit aestuoso.
o clade quanta contudit hostium
quantas phalanges armipotens Pater!
seri recensebunt nepotes
mirificae monumenta dextrae.

disiecta retro plus vice simplici
cessit rebellis turma, simul tua
exarsit ultrix ira, qualis
flamma levi metuenda culmo.
erupit acer naribus halitus;
repente concreto liquor aequore
suspensus haesit; segregatas
eurus agens glaciavit undas.
dixit tyrannus, quidlibet impotens
sperare, dixit 'persequar, assequar
et subiugatos luctuosa
caede duces populosque perdam.'
tuus sequaces spiritus infremens
afflavit undas; arma, viros retro
absorpsit, ut plumbum cadentis,
reflua congeries aquarum.
at o deorum quis similis tibi,
aut quis secundus? fulgida conspici
te sanctitas vestit, tremendum
te decus omnipotentis irae.
mirum vibravit dextra minaciter
exerta signum: iam liquidos sinus
diducta tellus et refusa
Niligenas sepelivit unda.
nobis reducti trans maris arida
novom negata Ductor iter via
reclusit ad certos triumphos
expediens per acuta leti.
en rumor aures antevolans ferit
et corda pulsans subsequitur pavor:
cerno Palaestinam frementem
insolito trepidare motu:
perculsa cerno regna: quis o tremor
duces Idumae perculit? en vigil
horrescit extremas ab alto
prospiciens Moabita turmas.

adversa late castra micantibus
horrere telis vidit et hostium
  impune victrices catervas
    marte novo peritura vidit
Hethaea tellus. ut stupor insidet
vires resolvens et silicis rigor
  contracta stringens corda pressoque
    ore furens taciturnus Horror!
at nos viarum te duce et auspice
impune per deserta, per umida
  transimus. o promissa salve
    terra novos habitura cives!
hic praeter omnes carior hospiti
sedes Iehovae: collis ibi sacer
  cultuque sollemni verenda
    plena Deo propiore templa.
reges in ipsos imperium Dei
agnoscet aetas ultima, et ultimae
  gentes adorabunt Iehovam
    Niliaco celebrem triumpho.

IOANNES BVRTONVS, *A. S.* 1770

III

NUNC Dei laudes celebrare sumam;
  inclutum nam nunc peperit triumphum;
ille equos altis equitumque turmas
    obruit undis.
arbiter belli dominusque rerum
tu potens audis: tua dextra fulget
splendide victrix; tua, Dive, dextra
    contudit hostem.
namque maiestas metuenda dextrae
vim catervarum ruit ingruentum,
et furor ritu stipulae rebelles
    missus adussit.

narium flatu glomerata moles
surgit undarum, cumuloque sistit;
et maris tamquam glacie gelata
ima rigescunt.
dixit ast hostis 'sequar, apprehendam,
dividam praedas, animum replebor
vindicem, ferrum reteget, retecto
dextera caedet.'
attamen flabas, Deus, atque flatu
irruens omnes tumulavit aestus;
ac velut plumbum cecidere vastis
fluctibus hausti.

* * * *

501 *IEREMIAE ELEGIA SECVNDA*

INCLUTAE muri celebres Sionis
et salus quondam, decus et Sionis,
ultimum vobis meditatur ictum
numinis ira.
iamque contentus sonat arcus: ignes
dextra non cessat geminare, donec
aequa directo iaceant superba
maenia plumbo.
regii moles operosa valli
concidit: portas sepelit ruina;
claustra portarum in cineres residunt
trita caducos.
quin et urgetur gravibus catenis
Davidis sceptrum; penitus remoto
servitus regem comitesque lassat
dura sub orbe.
quae polo nobis sacra lex amico
fluxerat, cessit vitiis iniqua
et Dei effetos simulacra ludunt
irrita vates.

qualis abiectae facies Sionis!
heu senum qualis facies silentum!
ora defixit stupor; hirta setis
tegmina acutis
sordidi torquent umeri: verendos
inficit canos cinis ater: ipsae
virginis foedo roseum reclinant
pulvere collum.
nec genae fletu carùere nostrae;
lumina in vivos resoluta hebescunt;
triste tabescit iecur; intus ossa
exedit angor.
quis tuo non det lacrimas dolori,
o Sion? passim puerilis aetas
sternitur, vita spoliata in ipso
limine vitae.
voce nequiquam lacrimans tenella
triticum poscit puer atque vinum;
triticum nusquam, medicique defit
guttula vini.
in sinu matris trepidante frustra
matre vitam efflat resolutus infans;
et fames instans gladii rapacis
funera densat.
o ferax tellus, Solyme, dolorum;
o mihi semper lacrimanda tellus!
cui tot aequabo mala? quo dolores
carmine soler?
quis manu plagas foveat salubri
quas tot hostilis cumulavit ira,
quot procellosi gemebunda tundunt
litora fluctus.
somnia huc ergo cecidere vatum
pulchra, quae nuper popularis aurae
turba captatrix vacuas ad aures
usque sonabat.

dum pie duris tua debuissent
insequi dictis scelera, ingerebat
credulae vanos animos honorum
prodiga lingua.
te super plausis manibus viator
sibilos tollit, caput atque quassans;
'haeccine' exclamat 'decor urbs amorque
unicus orbis!'

BENIGNVS GRENAN, *A.S.* 1715

II

MOENIBUS excidium Dominus cum triste pararet,
filaque casuris tenderet atra locis,
cum iam fatalis strueret mala damna ruinae,
et manus ad iussum saeva veniret opus:
moenia luxerunt pariter pariterque ruerunt;
mugitus late tanta ruina dedit.
demersae portae telluris ad ima, refracti
vectes, abducti rex proceresque domo:
lex nusquam populis, populis oracula nusquam;
ad vatum voces non movet ora Deus:
procumbunt sine mente senes tacitique morantur:
perculsis gelidus comprimit ora stupor:
dant canis cineres, rigidis dant stragula membris,
haud luctu senibus pars vacat ulla sui.
verrit humum virgo passis prostrata capillis,
quae fuerat culta conspicienda coma.
heu minuente fame sensim corpuscula summos
vagitus media parvulus urbe dedit.
at me tum primum gelidus circumstetit horror,
lux umorque oculos destituere meos.
cui paulo melior linguam formaverat aetas,
'heu ubi, mater,' ait 'farra merumque mihi?'
dixit et exangues cecidit collapsus in artus,
infelix animam legit ab ore parens.

quid te flere vetem, miserandae nympha Sionis?
  aut quid ab exemplo nunc tua damna levem?
non te quae recreent subeunt exempla dolentem,
  ut longe a multis prisca petantur avis:
scilicet est moles tumidi quam vasta profundi,
  incumbunt capiti tam mala multa tuo.
quae satis apta tuos sanet medicina dolores?
  quis tibi lenimen dulce laboris erit?
incautam nimium vates lusere profani.
  cum nugis aures detinuere tuas:
omnia fatidici falso tibi laeta canebant:
  tu nimis es votis visa favere tuis:
vox castigabat sceleratos nulla furores,
  nullaque vox usquam recta monentis erat.
hinc scelus invaluit, scelus est sua poena secuta,
  exilio et tristi est poena luenda iugo.
facta tua quondam sentis dispendia culpa:
  te penes est omnis causa caputque mali.
nunc miseranda subis stulti ludibria volgi,
  nempe viatori fabula laeta iaces.
plaudit iter faciens exibilat ore caputque
  motat, et haec verbis asperiora facit;
'haeccine quam gentes rerum decus esse ferebant?
  haec est quae toto sustulit orbe caput?'

IOANNES RVXELIVS, *A. S.* 1600

502 *LAMENTATIO IEREMIAE EX CAPITE TERTIO*

ILLE ego caelesti iamdudum exercitus ira
  cuncta per humanae sortis iniqua feror:
per tenebras noctis me duxit Numen opacae,
  iussit et expertes luminis ire vias.
nec modus aut requies: series immensa laborum
  ante diem vires est populata meas:
corpora confecit, solet ut spatiosa vetustas,
  fregit et assiduis ossa peresa malis.

aggere me saepsit, moles me structa coercet,
  fellis amara lues anxietasque premunt.
in tenebris iaceo, veluti quos lumine cassos
  Parca sepulchrali condidit atra specu.
en ego, ne fugiam, teneor munimine saeptus
  iniectaque super compede membra gravor.
quin Deus, ut feriam repetitis aethera votis,
  obstruit aethereas ad mea vota domos:
Ille vias clausit quadratis undique saxis,
  omnis in errorem semita versa mihi est.
non absumpta Dei est lapsis clementia saeclis:
  et viget et nulla est interitura die:
exoriturque recens, oritur cum Lucifer omnis:
  quanta, Deus, fidei pondera quanta tuae!
et mea mens secum 'Deus unus pars mea' dixit:
  hoc est cur in eo spemque fidemque locem:
supplicibus bonus est et se quaerentibus offert:
  deque penu largas divite fundit opes.
felix ille animi, cui spes Deus una salutis,
  numinis expectet si patienter opem.
utiliter primis patientia discitur annis,
  proderit a puero triste tulisse iugum:
utile quinetiam tacito sedisse recessu,
  pressaque damnosis ora tenere malis:
felix qui casu sileat perculsus iniquo,
  cum vix spes parvi fulserit ulla boni:
quique genas hosti feriendaque porrigat ora,
  obiectis animos exsatietque malis.

IOANNES RVXELIVS, *A. S.* 1600

503 *LAMENTATIO IEREMIAE EX CAPITE QVARTO*

NAM quae nitentis protinus inficit
  auri colorem tam male decolor
labes? ut immanem ruinam
  sparsa per attonitas plateas,

summi tot annos hospitio Dei
dignata sedes, explicat, ut dolet
  patere sacratum profanis
    terribilis penetrale templi!
intaminatae quos modo purpurae
flos primus, omni sidere clarior,
  aurique vis intexta multo
    igne hebetans oculos tuentum
ornaverat, nunc fictilis in modum
testae iacentes, quae teritur pede,
  velant amictu iniurioso
    illuviesque olidaeque sordes.
at qualis eheu se Solyma obicit!
inmanitatis quod genus hoc novom,
  ad quam vel ipsis expavescunt
    prodigiis male feta lustra!
leaena partus nempe suos fovet;
tigres tenellis ubera tigribus
  materna summisisse et almo
    lacte iuvat satiare prolem.
tu sola natos inmiserabiles
fato sub ipso destituis, Sion,
  scelesta mater! frustra inanis
    ore avidus sitiente mammas
expectat infans: torrida gutturi
lingua haeret usto: multa gemens puer
  panem orat incassum; recusat
    dextra tulisse inimica panem.
quos adparatu splendida regio
mensa eruditis deliciis ferax
  laute saginabat, viarum
    difficili asperitate tritos
hinc inde passim dira metit fames:
mors atra si quos praetereat, cibis
  pro delicatis vix pudendos
    turpia dant alimenta victus.

heu luctuosae sors patriae, graves
quanto Sodomorum exsuperas vices!
urbem repente haud sentientem
sorbuit ignivomo sepulchro
diducta tellus: at patriam improba
tabes minutatim exedit ossibus
usque insidens: delicta poena
insequitur graviora maior.

B. GRENAN, *A. S.* 1715

II

ASPICIS ut iaceant posito fuscata nitore
quae steterant Solymis aurea templa suis?
saxa ut sint adyti mediam disiecta per urbem,
ut sit in his passim vasta ruina locis:
mos quibus aurata fuerat fulgere lacerna,
praecipua Solymi nobilitate duces,
aspicis ut iaceant vitiatae more lagenae
quam figulus molli finxerit ante luto.
cum lactent angues catulos, non viscera curat
Isacis in partus saevior angue parens.
ut dirae positis ululae per devia nidis,
sic matres fetus destituere suos;
haesit in infantis sitibundo lingua palato,
arida non ullus colluit ora liquor:
parvulus esuriens panis sibi frustra petivit,
parvulus a nullo frustra petita tulit:
mollia deliciis corpuscula pascere suetos
in media grassans perculit urbe fames.
quos in coccineo genetrix eduxit amictu
turpiter hi putri decubuere fimo.
vel Sodomo peius Solumae commissa luentur
quae male per longas interimere moras:
at prope momento Sodomum ruit ignibus omne,
omnis et est uno poena soluta rogo:

contigit haud Sodomo fulgentis aere catervas
et defixa suo castra videre solo.

IOANNES RVXELIVS, *A. S.* 1600

504 *ORATIO IEREMIAE*

GENTIS Hebraeae metuende iudex
at parens nuper, tibi si paterna,
o Deus, nondum penitus tuorum
cura recessit:
lumina huc tandem tua flecte, iustis
prompta leniri precibus vocantum:
et nimis probro satiatam amaro
respice gentem.
terra quam nobis dederas avita
impiis cessit data praeda turmis;
nostra iampridem dominos requirunt
atria notos.
orbitas tota fera regnat urbe;
filius patrem, viduata plorat
coniugem coniunx graviora et ipsi
fata ferentes.
stat sitis magno pretiosa; numi
vix aquam exorant: sua ligna contra
veneunt auro dominis iocusque
tot mala acerbat.
en ubi collo graviter revincto
per vias, ritu pecudum, per urbes
turba servilis rapimur manumque
inrequietam
barbaris viles operae locamus
pane conducti miseranda proles!
quae graves culpae meruere patrum
fata subimus.

iussa quae nuper Solymae timebat,
imperat victae Solymae arroganter:
nec iugum collo manus ulla nostro
demere curat.
quis furor? panem negat hostis, ense
et negat stricto; latitans egestas
deviis furtim in latebris et inter
mille pericla
sublegit victum: sed ut aestuosus
igne nigrescit rapido caminus,
sic fame longa cutis atra renes
nudat inanes.
nec caret luctu muliebris aetas
proprio: mixtis humiles puellae
matribus sancti temerata deflent
iura pudoris.

B. GRENAN, *A. S.* 1715

II

SIS memor o iudex nostri mitissime casus,
nostra favens oculis probra tuere bonis:
rapta peregrinis cesserunt arva colonis,
externumque pati iam didicere iugum:
bellator dudum nostras tenet advena sedes:
urbe domoque procul turba vagamur inops:
turba parente orbi, viduae, miserabile volgus
iudicii superant haec monimenta tui.
nos mercede sitim nostris restinximus undis,
sustulimus pretio propria ligna dato,
servitio enixe tulimus Babylona potentem,
servitio nec adest saevitiaeque modus.
Assyrioque manus dedimus Pharioque superbo:
ille cibi siquid forte vel ille daret.
non ego mentis avos noxa nec crimine solvo:
ex merito poenas persolüere graves:

at iam tempus erat generi te parcere: si non
  antiquos meritis aequiparamus avos.
nos quoque servitio servi pressere feroces,
  nec datur infami solvere colla iugo;
vix cibus est nobis per mille pericula partus,
  omnibus hoste locis incutiente metum.
ut cava nigrescit picea caligine fornax,
  sic cuiusque cutis squallet adusta fame:
Isacis ereptum gemuit matrona pudorem,
  Isacis in sacro passa Sione nefas:
plurima passa nefas Iudaea per oppida virgo,
  omne solum rapti damna pudoris habet.

IOANNES RVXELIVS, *A. S.* 1600

III

ERGO age et in mentem revoca quae quantaque nobis
  acciderint placidoque, Deus, nos respice voltu:
atque ignominiam procul opprobriumque repelle.
ad gentes sors nostra redit pro dedecus! omnis
externas Solimamque hostis patriosque penatis
occupat: orbati ceu patre vagamur ubique,
pullataeque virum nunc tamquam in funere plorant
heu miserae matres: pretio (quis credat?) iniquo
venit potus aquae, pretio quoque ligna parantur.
impius en nostris cervicibus imminet hostis
fessaque deficiunt tot iam defuncta periclis
corpora nec requies miseris datur ulla laborum.
Assyriis dedimus victas dedimusque potenti
Aegypto per bella manus, quo pane liceret
exiguo vesci et lapsis succurrere rebus.
multa quidem nostros olim peccasse parentis
quis neget? illi autem tranquilla in morte quiescunt:
at nos heu miseri nos infelicibus orti
auspiciis patrum luimus delicta nocentum.
quin et Idumaei nobis, dum fata sinebant,

servire assueti quondam, nunc ecce protervi
insultant victis dominis dominantur et ipsi.
servili nec colla iugo qui libera solvat
ullus adest; victum deserta per arida saevos
inter latrones magno discrimine vitae
quaerimus: ora fame rabidoque patentia rictu
solvontur, clibanoque velut fumante recocta
pellis hiat fumique trahit rugosa colorem.
oppressae matres capta planxere Sione,
virginum et auditur Iudaea ululatus in omni.

IACOBVS AUGVSTVS THVANVS, *A. S.* 1699

505 *VATICINIVM BALAAMI*

TUIS, Iacobe, quantus est castris decor,
tuisque signis, Israel!
ut rigua vallis fertilem pandens sinum,
horti ut scatentes rivulis:
sacris Edenae costi ut in silvis virent,
cedrique propter flumina.
illi uda multo rore stillant germina,
fetusque alunt iuges aquae.
sancti usque fines promovebit imperi
rex usque victor hostium.
illum subacto duxit ab Nilo Deus,
novis superbum viribus;
qualis remotis liber in iugis oryx
fert celsa caelo cornua.
vorabit hostes: ossa franget: irritas
lacerabit hastas dentibus:
ut leo recumbit; ut leaena decubat;
quis audeat lacessere?
quae quisque tibi precabitur, ferat bona!
mala quae precabitur, luat!

R. LOWTH, *A. S.* 1753

511 *CATO SOLVS LOQVITVR*

SIC, sic se habere rem necesse prorsus est.
ratione vincis, do lubens manus, Plato.
quid enim dedisset, quae dedit frustra nihil,
aeternitatis insitam cupidinem
natura? quorsum haec dulcis expectatio,
vitaeque non explenda melioris sitis?
quid volt sibi aliud iste redeundi in nihil
horror, sub imis quemque agens praecordiis?
cur territa in se refugit anima, cur tremit
attonita, quotiens morte ne pereat timet?
particula nempe est cuique nascenti indita
divinior; quae corpus incolens agit;
hominique succinit 'tua est aeternitas.'
aeternitas! o lubricum nimis aspici,
mixtumque dulci gaudium formidine!
Quae demigrabitur alia hinc in corpora?
quae terra mox incognita? quis orbis novos
manet incolendus? quanta erit mutatio?
haec intuenti spatia mihi quaqua patent
immensa, sed caliginosa nox premit,
nec luce clara volt videri singula.
figendus hic pes: certa sunt haec hactenus;
si quod gubernet numen humanum genus,
(at quod gubernat esse clamant omnia)
virtute non gaudere certe non potest:
nec esse non beata quae gaudet potest,
sed qua beata sede? quove in tempore?
haec quanta quanta terra tota est Caesaris.
quid dubiis haeret animus usque adeo? brevi
hic nodum hic omnem expediet. arma en induor
[*ensi manum admovens*
in utramque partem facta: quaeque vim inferant
et quae propulsent! dextera intentat necem;

vitam sinistra: volnus haec dabit manus:
altera medellam volneris: hic ad exitum
deducit, ictu simplici; haec vetant mori.
secura ridet anima mucronis minas
ensesque strictos, interire nescia.
extinguet aetas sidera diuturnior.
aetate languens ipse sol obscurius
emittet orbi consenescenti iubar:
natura et ipsa sentiet quondam vices
aetatis; annis ipsa deficiet gravis!
at tibi iuventus, at tibi immortalitas!
tibi parta divom est vita. periment mutuis
elementa sese et interibunt ictibus.
tu sola semper permanebis integra,
tu cuncta rerum quassa, cuncta naufraga,
iam portu in ipso tuta, contemplabere,
compage rupta corruent in se invicem
orbesque fractis ingerentur orbibus:
illaesa tu sedebis extra fragmina.

R. BLAND, *A. S.* 1710

515 *All worldly shapes shall melt in gloom*

FAS daedalae telluris imagines,
ipsum tenebris fas Hyperiona
marcere: sic demum caduci
sidereum iubar induemus.
vidi sub altis nocte soporibus
volvenda fassum tempora somnium,
quo raptus annorum per aequor
mente feror trepidante vates.
unum, quot auras terricolae bibent,
vidi peremptis stare superstitem,
cui funus ostendetur orbis
ceu tibi, Deucalion, origo.

languebat oris sol male luridus,
tellus, anili pallida taedio:
  stat gentis humanae superstes
    quem populi posuere circum
ossa interempti; marte sub hostico
hos scabra in albis spicula dexteris
  testantur occisos, necarat
    hos famis, hos mora lenta morbi.
stratis viarum non sonitus pedum,
non murmur ardet praetereuntium:
  torpente torpentis in oras
    remigio vaga fertur alnus.
stabat severi prodigus auguri,
stabat superbis impavidus minis,
  frondesque ut autumnalis auster
    flavicomo quatit aesculeto
vox gloriantis 'par venit exitus
utrique nostrum: te quoque frigora,
  Sol magne, te fatalis urget
    terminus et miseranda divis
sors aegra terrae. sat veteris mali,
sat lacrimarum saecula saeculis
  nectens tuebaris: quievit
    ille semel lacrimosus angor.'

R. C. J.

516 *He who hath bent him o'er the dead*

QVALIS inhaeret amans qui lumina clausit amatae,
  cum trahitur damno prima recente dies,
(prima dies tenebrarum, orbati prima silenti,
  summa laboranti speque metuque precis,
ante resolvendae quam signa morantia formae
  tabida Persephones audet obire manus:)
ora velut placidae cernit clementia divae
  non enarrandum pacis habere iubar;

purpureae cernit vestigia mollia lucis
  tingere languentis, nec maculare, genas.
quin nisi non fletu vacat umbra latentis ocelli,
  suadelaeque suae vana suaeque facis;
nescius humano nisi quod mollescere luctu
  ille rigor durae marmora frontis habet,
unde reformidans gelidae contagia mortis
  horret, et horrescens, quod timet, orbus amat;
cetera paullisper possitve beatus in horam
  credere Plutonis non domuisse minas:
tanta quies, tam dulce silens componit honestas
  quod suprema dies fertque rapitque decus.
talis in extincta species, nec verior, ora:
  Graia, vale, tellus! est decor, aura fuit.

R. C. J.

FINIS FASCICULI SECUNDI

Auctarium

28 *GRAPHIARIVM*

PLANTA fui sterilis calamus; non mala colono,
non uvae aut ficus dulcia dona ferens:
sed qui me addixit Musis, exilia labra
finxit et angustum qua fluit umor iter:
ebrius inde nigro potu, ceu numine vates
afflatus, muto quidlibet ore loquor.

IOANNES COMMIRIUS, *A.S.* 1650

83 *SIC VITA*

QVALITER e caelo praeceps delabitur astrum,
qualiter est aquilae praecipitata fuga;
vere novo veluti varios fert terra colores,
rore novo veluti plurima gutta micat;
ut boreae flamen fluctus ciet acre marinos,
flumine ut in summo vitrea bulla natat;
talis vivit homo: cui lux est mutua tantum,
quae, simul ac revocat nox, soluenda cadit.
flamen abit boreae; vanescit bulla sub auras;
veris et autumno est semisepultus honos;
siccantur rores, de caelo decidit astrum;
transiit ala—perit nec memoratur homo.

F. E. G.

97 *EPITAPHIVM*

MATERNAE in gremium telluris suave recumbit,
quem renuit famae vox celebrare, puer:
at placido adspexit fautrix Sapientia voltu,
nascentem et docuit lugubre Musa melos:
ingenuus, simplex, re pauper at indole dives
fraterno proprium fovit amore genus:
dum miseris dedit hic lacrimas, accepit amicos;
o lauta, o animo munera grata suo!
si bene quid gessit, siquid male, quaerere noli,
spes metus haec sacra nocte sepulta tenent.
errare humanumst, divinum ignoscere: quare
desine; nota patri cetera, nota Deo.

102 *Her tears fell with the dew of even*

FLET virgo infelix et ros ubi vespere sero
decidit, et primo ros ubi sole fugit.
mane novo caelum non volt spectare serenum,
vespere non oculos tollit ad astra suos.
si media volucris fundit vaga nocte querellas,
mugituve boum vallis opaca sonat,
sive diem rauco gallus vocat ore morantem,
pervigil ingratos excipit illa sonos.
nec spes nec requies somno venit ulla malorum;
maesta per ignotas it sine fine plagas:
mox, ubi frigidior tenebris subit aura fugatis,
despicit in solam lux inamaena domum.

E. H. G.

270 *VOTVM*

AD collem mea parva domus stet, mulceat aures
quae iuxta laeta voce susurrat apis;
praefluat unda casam iucundo murmure labens,
immineant salices oscula dentque vadis:
saepe meis nidum tignis suspendat hirundo,
indoctoque canat gutture saepe lares.
saepe meum quaeras limen, defesse viator,
dum modicis splendet rustica mensa cibis:

ante fores crescant nostras violaeque rosaeque,
quae velatae hedera luxuriante virent;
uxor, ut arguto percurrit pectine telas
sedula, suaviloquo carmine fallat opus.
arboribus partim frondentibus abdita templa,
qua primum iunxit nos sociale iugum,
campana exhilarent vicos ac rura propinqua,
et caelum tenui vertice celsa petant.

E. F.

284 *EPITAPHIVM*

EN ubi sub tacite lacrimanti marmore dormit
uxorque et mater consiliisque comes:
pectus amicitiae blandis virtutibus aptum,
laetatae sacram qua posuere domum:
incorrupta fides, pietas ibi sedit amorque
et praebet miseris quae dea lenis opem.
nec saevi impatiens morbi nec mortis amanti
persensit volnus quod moribunda dedit.
consimilis matri superest pulcherrimus infans
innocue ridens ora reflexa patris.
quot, miserande pater, remanent tibi tristia, vitae
ut declive tenes incomitatus iter,
heu lacrimae cassae, gemitus, carusque dolenti
alta mente latens, discruciansque dolor;
donec multa dies curas extinxerit omnis
cum vita, et frigens corde recedat amor.

337 *IN FLAVIAM ET CHLOEN*

QVOTQVOT eunt horae, semper nova pectora captant
luminibus praestans Flavia, mente Chloe:
artius huic regnum est, late dominatur at illa,
mens pia nam paucis, omnibus ora patent.
imperat haec cultis, qualis regina Britannum,
illa regit sterilem, rex ut Eous, humum:
voltum igitur, solum decus, i tu Flavia iacta
quo tu pulchra minus, pulchrior usque Chloe.

H. H.

346 *The small birds rejoice in the green leaves returning*

VER redit; exultat foliis viridantibus ales,
per valles vitrea murmurat amnis aqua:
mane novo flores roratos pandit acanthus,
pingit et incultum primula rara nemus.
quid tamen ista valent? quae possunt pulchra videri,
tarda gravi cura dum mihi vita fluit?
nec nitidi flores, nec aves tam dulce canentes,
spe viduata omni tangere corda valent.
reddebam solio regem patremque paterno,
scilicet id potuit criminis esse loco?
iure regit colles, iure hos regit ille recessus,
qui dant tecta feris plurima, nulla mihi.
non tamen ipsius ploro mea damna dolentis,
vos, socii fortes, vestraque damna gemo:
vestra nitet virtus spectata labore cruento;
dona dari heu vobis non meliora piget.

H. H.

348 *She is far from the land where her young hero sleeps*

NYMPHA procul terra est tumulo qua conditur heros,
suspirant circum, sedula turba, proci;
ast avidos voltus avertitur illa, gemitque,
mens etenim est sponso contumulata suo.
exercet patrias, incondita carmina, musas,
et revocat iuveni, qui placuere, modos.
a! minime reputant qui gaudent carmine, quantum
tristia cantantis pectora vexet onus.
pro patria cecidit, pro sponsa vixerat ille,
nulla nisi haec illi gaudia vita dabat.
illi aderunt desiderium lacrimaeque suorum,
nec dilecta diu sponsa superstes erit.
condita sit tumulo qua sistitur occiduus sol
cum face promittit splendidiore diem:
et iubar irradiet tumulum, ceu risus ab oris
hesperiis, tantus nascitur unde dolor.

H. H.

425 *Shun delayes; they breed remorse*

PONE moras: curae sunt angorisque parentes;
carpe brevem sapiens, dum sinit hora, diem.
robur habet minimum, quae repit cochlea: quare
illud in exemplum, si sapis, ire cave
effusi pereunt, quibus est mora saepe, labores;
qui cito dat, bis dat; nec labor ille perit.
dum licet et zephyri spirant da carbasa vento,
nullius arbitrium ventus et unda manent.
praeteritum tempus ne tu revocare labores,
festina lente, sic sapienter ages.
a quanti quae sera venit sapientia constat!
provida mens vitam diriget usque tuam.
tempus enim nullos gestat nisi fronte capillos:
tu senis oppositum fronte prehende caput.
quum semel effugit precibus non vertitur ullis,
et calvom a tergo detegit ecce caput.
officio longum dilato multa repugnant,
mens incerta novas parturit usque moras.
dum crudum est volnus, mature unguenta parentur;
putria quae fiunt, altius ensis egent.
cum mala convaluere, valent medicamina raro,
raro umquam quamvis saepe petita valent.
opportunus adi, si quem vis vertere dictis:
intempestivus praemia nulla feres.

H. H.

448 *Slow sinks more lovely ere his race be run*

PULCHRIOR, exacto nondum super aethera cursu,
per iuga Moreae Sol maris alta petit:
nec iubar obscurum est, veluti borealibus oris,
viva micat toto fax sine nube polo.
lampada sopitas flavam iacit ille per undas,
dumque tremunt, virides fulgor inaurat aquas.

per saxum Aeginae, per cinctam fluctibus Idram
  supremos risus linquere Phoebus amat.
ipse suas terras amat irradiare morando,
  quamquam arae antiqua religione carent.
incipit invictos Salaminis tangere fluctus,
  nigrior e summis qua cadit umbra iugis:
caeruleos arcus longinqua per aequora visos
  clarior in mediis purpura vestit aquis:
et solis iacti per culmina summa colores
  caelestem signant, qua fugit ille viam;
donec obumbratus tenebris terraque marique
  post iuga defessos Delphica solvit equos.

H. H.

428 *Stay, rivulet, nor haste to leave*

SISTE pedem liquidum neu torrens desere vallem,
  rivule, quae ripas ambit amoena tuas:
cur vespertinus properas maris instar habere,
  quem modicum fontem viderit orta dies?
te, qui quotquot eunt laticum vilissimus ires,
  progenuit prima luce maligna silex:
nec tibi flos apicem demisit signa daturus
  pauperis et tacitae qui tenor esset aquae:
in te purpureo nunc candida luna relucet,
  dum pronos latices inrequietus agis;
dum, qui splendidior fons adfluit, inde colorem,
  adripis et, citior qui fluit, inde fugam.
quo temere excurris? fluvio par ire laboras
  scilicet, in pelago depositurus aquam:
aequor ad omnivorum non te liquor additus auget
  qui non proripiat mobiliore gradu:
a! praestabat in hac viridi te valle morari,
  hos flores liquido fonte fovere tuo,
defluxisse diu lapsum cum pace Galesum,
  quam sic Danubium deperiisse brevem.

T. S. E.

573 *The swallows in their torpid state*

TORPORE segnis claudit inutiles
pennas hirundo: nec minus alveo
conduntur in pigro vocantis
veris apes reditum manentes.

quamvis acuto fons steterit gelu,
immite quamvis flamina saeviant
hiberna, securo fruuntur
innocuae sine fraude somno.

nos contra iniqui temperiem poli
sentimus ultro: nos mala candidae
praesentia exosi necessest
spem miseri foveamus horae.

hyemps senili sub pede claudicans
meque et Mariam proterit: at tuum
ver pone se tollens amoeno
significat reditum susurro.

illam fugabit de viridantibus
antris Aprili Flora soror comes,
horasque ridentis ut ornet
quoque die nova serta nectet.

et siqua ocellos gutta riget, iocos
desiderari praeteritos monens,
te te redonato recurret
lux animis lacrimasque pellet.

H. H.

714 *But he's the Tityus who is robbed of rest*

HIC Tityus nobis, si quis requiescere nescit,
quem dominus lacerat, roditque cor anxia cura.
Sisyphus ille autem, strepitus quem rixaque ducit,
ut vitae secessum atque otia mollia linquat;
imperiumque urbis turbat, legesque paternas
sollicitat, plaususque haurit popularis amorem
ebrius, et vulgo instabili blanditur, ut inde
accipiat fasces; ita frustra multa laborat,
ut summas attingat opes altumque cacumen.

sic petere imperium semper, labique petentem,
tendere perpetuo conantem, vincere numquam,
hoc est, si ratione velis rem pendere vera,
adverso saxum nixantem trudere monte.

J. G. L.

720 *IN NARCISSVM*

STABAT ibi iuvenis Narcissus margine fontis,
et vitrea formae speciem cernebat in unda;
unda velut speculo faciem reddebat honestam,
bracchiaque accedens studio porrexit imago.
nulla quidem pectus iuveni rude nympha domarat,
imo echo puerum fugientem saepe secutast
nequiquam: solum sese admiratur ineptus
ille, sibique favet, cupidisque intentus ocellis
frustra umbram petit et tenuem sine corpore risum.
in placidos latices cadit irrita lacrima flentis;
tum digiti in patulas visi se extendere frondes,
sucus et in venis viridis pallentibus ire,
inque brevem florem perit immutata venustas.

J. G. L.

740 *Look nature through, 'tis revolution all*

PERSPICE naturam: sine fine revolvitur omnis:
omnia mutantur, nihil interit: ecce caducam
noxque diem noctemque dies subit; astraque surgunt,
et reditura cadunt. peragens imitamina caeli
mutat terra vices; en daedala risibus aestas,
floribus ambrosiis viridique ornata corolla,
vergit in autumni speciem pallentis; at albens
bruma comas, horrenda gelu, furiosa procellis,
acribus autumnum rapit et poma aurea flabris:
deinde in ver fluit illa; monet ver molle favoni
flamen, et e tepidi thalamis genialibus austri
aestatem revocat. quidque, ut revirescat, obivit:
sic rota, quo sursum redeat, demergitur omnis:
his similis mutatur homo, non interit umquam.

S. L.

756 *Her short performance was no sooner tried*

ILLA melos breve temptarat; quamque ipsa petebam,
excepit Philomela modos, et suavia miscens
argutis varia cecinit dulcedine vocis;
insonuit nemus, et geminata est vallibus echo.
stabam ego caelesti perculsus carmine, fingens
mira mihi attonitus, solitos neque pectore sensus
continui angusto, domitusque furore beato
somnia credebam Paradisi grata videre.
at tandem invigilo, simul omnia lumine lustro
arbusta exquirens passim, floresque sub omnes
huc illuc circumspicio, si forte poeta
inventus mihi sit, vocalis gloria ruris:
tandem illam aspicio laurus sub fronde sedentem.

J. G. L.

834 *'Tis pleasant by the cheerful hearth to hear*

SUAVE mari magno narratam audire procellam
ventorumque iras vastique pericula ponti;
dummodo nos media liceat revocare loquella
nosque malis ipsos quae audimus cernere tutos:
tum rursus narranti inhiare haurireque casus
terrificos ipsoque frui sic posse timore.
at cum vera noti vis ingruit et niger uno
vertitur agmine nimbus et immensus ruit aether:
cum vis cassa artesque hominum agnoscuntur inanis,
nec quicquam, quacumque oculos versere, videndumst
salsa nisi spatia aut qua mons praeruptus et unda
suspensam in puppim iam iam lapsura cadentique
imminet adsimilis—terrores hostibus illos
o superi! neque enim, cui talia contigit olim
exantlâsse, feros si circum tecta procellae
audit forte sonos, memori non pectore totus
horreat et casus nautae miseretur iniquos.

69 *Care thou canker of all joys*

OMNIUM tabes mala gaudiorum,
cura, te regno spoliamus—Evoe!
canthari spument! hilaris Iaccho
tollite plausus!

eia quam laetis animis protervom
nocte ducemus media Lyaeum!
nox placet nobis, socii, dies dat
gaudia vulgo.

prendite invisum scelus: ecce mersam
caedimus pestem. veniat iocorum
turba ridentum: procul aeger absit
fletus et angor.

H. H.

363 *Gone are the glorious Greeks of old*

QUIS corda digne fortia, quis ducum
voltus tuorum, Graecia, dixerit,
quorum ossa iam tellus recepit,
aut cineres rapuere venti?

at prisca donec marmora temporis
damno supersunt, spiritus et favor
et nomen heroum favillis
egregias redeunt per artes.

myrtus per annos fronde viret nova,
saxisque, ut olim, desiliunt aquae,
floresque nascuntur recentes
ossa super tumulata regum.

* * * *

E. H. G.

382 *Now the golden morn aloft*

SUBVECTA pennis rore madentibus
aurora puro splendet in aethere;
lenique ver tardum susurro
oreque purpureo salutat.

post hanc Aprilis provocat halitus
imo sepultos sub gremio soli,
campi virescentes per agros
eximios renovat colores.

rurisque alumni multiplici pede
ludum innocentem ludere gestiunt;
brumalis oblitae veterni
concelebrant reditum volucres.

quin vox alaudae caelitus intimam
testatur acri laetitiam sono,
sursum liquescentis per auras
ipsa minor, minor usque, tranat.

[jam nunc resurgas, o anime, igneis
alis resurgas. insere te choris
natura queis plectro sonanti
perpetuum modulatur hymnum.

ut sol novatis iam radiis calet,
ardor calescat sic fidibus lyrae;
vernosque per saltus amorem
conferat, harmoniam, salutem].

F. E. G.

APPENDIX

A

p. 28 § 123 *b*

THE rose when first it doth prepare
  its ruddy leaves to spread;
and kisséd by the cold night-air
  hangs down its coyen head,
is not so fair as love that speaks
in unbid blush on beauty's cheeks.

The pains of war when streams of blood
  are smoking on the ground,
where foemen breme of lustihood
  ymixed in death are found,
yea death itself is lightlier borne
than cruel beauty's smiling scorn.

G. GASCOIGNE

B

117 § 481 *b*

WE know when moons shall wane,
  when summer-birds from far shall cross the sea,
  when Autumn's hue shall tinge the golden grain
but who shall teach us when to look for thee!

  Is it when Spring's first gale
comes forth to whisper where the violets lie?
  Is it when roses in our paths grow pale?
They have *one* season—all are ours to die!

Thou art where billows foam
thou art where music melts upon the air;
thou art around us in our peaceful home,
and the world calls us forth and thou art there.

Thou art where friend meets friend,
beneath the shadow of the elm to rest,
thou art where foe meets foe and trumpets rend
the skies, and swords beat down the princely crest.

F. HEMANS

C

p. 168 § 773 *l.* 13.

AND the creeping mosses and clambering weeds
and the willow-branches hoar and dank,
and the wavy swell of the soughing reeds,
and the waveworn horns of the echoing bank,
and the silvery marish-flowers that throng
the desolate creeks and pools among,
were flooded over with eddying song.

A. TENNYSON

D

p. 179 § 833 *l.* 1—13.

THE woods decay, the woods decay and fall,
the vapours weep their burthen to the ground,
man comes and tills the field and lies beneath,
and after many a summer dies the swan.
Me only cruel immortality
consumes: I wither slowly in thine arms,
here at the quiet limit of the world,
a white-haired shadow roaming like a dream
the ever silent spaces of the east,
far-folded mists and gleaming halls of morn.
Alas! for this gray shadow, once a man—
so glorious in his beauty and thy choice,
who madest him thy chosen, that he seemed
to his great heart none other than a god!

A. TENNYSON

Notes

Page Sect.

17 75 The subjoined anonymous version I have since met with in the *Gentleman's Magazine*, Jan. 1738, p. 44

Quodnam iter insistas vitae? discordia toto
magna foro et lites, cura molesta domi;
in terra atque agris labor arduus, aequore terror,
externaque bonis in regione times.
esse inopem durum est, multae cum coniuge curae;
si socia careas coniuge, solus eris.
nati discruciant, orba est sine pignore vita,
est amens iuvenis languidiorque senex.
quare opta alterutrum, vel numquam luminis auras
hausisse aut natum mox obiisse diem.

24 105 The following version is from the pen of the REV. G. F. DE TEISSIER, B.D.

Solis sola viis, Dovi prope flumina vixit,
cui laus nulla virum, rarus amator erat:
ceu viola ad lapidem viridi semiabdita musco,
stellaque per totum quae nitet una polum:
nulli nota fuit: vix cognita, desiit esse:
** nunc iacet: heu qui sum qui modo qualis eram!*

Page Sect.

27 117 DR SAMUEL JOHNSON'S version had escaped my memory:

Seu te saeva sitis levitas sive improba fecit,
musca, meae comitem participemque dapis,
pone metum, rostrum fidens immitte culullo,
nam licet, et toto prolue laeta mero.
tu quamcunque tibi velox indulserit annus,
carpe diem, fugit heu! non revocanda dies.
quae nos blanda comes, quae nos perducat eodem,
volvitur hora miki, volvitur hora tibi:
una quidem, sic fata volunt, tibi vivitur aestas,
eheu quid decies plus miki sexta dedit!
olim praeteritae numeranti tempora vitae
sexaginta annis non minor unus erit.

31 130 From *Blackwood's Magazine*, September, 1833

33 135*a* The two stanzas here translated but omitted in the *Foliorum Silvula* are;

Her open eyes desire the truth:
The wisdom of a thousand years
is in them. May perpetual youth
keep dry their light from tears;

that her fair form may stand and shine
make bright our days and light our dreams,
turning to scorn with lips divine
the falsehood of extremes.

38 152*a* The omitted Stanzas are;

I do confess thou 'rt smooth and fair
and I might have gone near to love thee;
had I not found the slightest prayer
that lips could move, had power to move thee;
but I can let thee now alone
as worthy to be loved by none.

I do confess thou 'rt sweet, yet find
thee such an unthrift of thy sweets,

Page Sect.

thy favours are but like the wind
which kisseth every thing it meets:
and since thou canst with more than one
thou 'rt worthy to be kissed by none.

46 189 From the *Carmina Quadragesimalia*, Vol. II. p. 59

55 122 l. 8, for *vigilat* read *vigilet*, for *consonet* read *concinet*

57 229 II The author of the version is GEORGE BUCHANAN

58 229 l. 6, for *illa* read *ille*: l. 12, for *illam* read *illum*

58 231 From a version of Pope's *Essay on Man*, published at Leyden, 1751, *ed.* 2

59 232 From *Solomon de mundi vanitate*, a translation of Prior's Poem, Oxford, 1734, by W. DOBSON, Fellow of New College, Oxford, and Translator of the *Paradise Lost*

63 241 l. 14 for *stillant grata minuta* read *volucris stillat arena*

65 244 l. 11 for *capturus* read *ductûrus*

73 268 Another version of the poem will be found in *Fasciculus Quartus*, p. 415

76 281 The original four last lines are;

Ah! little needs the minstrel's power
to speed the light convivial hour;
the board with varied plenty crowned
may spare the luxuries of sound.

82 300 The EDITOR is responsible for the 5th, 6th, 9th and 10th lines, which were not included in MR SCOTT'S version

83 302 l. 11, for *victrice caterva* read *Paeana canentûm*

Page Sect.

86 307—8 The EDITOR is responsible for the 4th, 11th, 12th, 16th, 19th, 20th, 21st, 22nd, 23rd, 24th, 29th, 30th, 31st and 32nd lines: the remainder are *incerti auctoris*

90 327 From a volume entitled *Feriae Poeticae*

92 342 Another version by DR HOLDEN of Durham may be added:

Cum mihi praeteritam revocat mens conscia vitam,
cur intus tacito corda dolore gemunt?
scilicet elapsi miserum me paenitet aevi,
nondum contentum mortis adire viam.
nil nisi terrestres nugas et inania vitae
appetii: in solis his ego totus eram.
non lucro appositum tempus, non rite sacratum
respicio; spatium nil nisi inane patet.
desperemne igitur demens?—scelus illud ab aegro
tu precor expellas pectore, Sancte Pater.
evocat hoc votum tua gratia, caelitus orta;
haec eadem, si quid deficit, omne dabit.
quod superest vitae, breve sit licet, omne dicabo
id Tibi; Tu, quando lege iubente tuâ
destituet fessos brevis hic iam spiritus artus,
me, Deus omnipotens, in tua regna refer.

104 439 From the *Musae Etonenses*, Tom. ii. p. 33, London, 1795

125 520 II From *Musae Etonenses*, Tom. II. p. 246

125 548 From *Claudii Salmasii animadversiones in Pervigilium Veneris:* l. 25—26. I have departed perhaps without sufficient cause from the original lines

parturiant et apes et cantu perstrepat ales;
quidni conveniat cantare hoc tempore vatem?

126 557 The following version is by DR HOLDEN of Durham:

Semiputata potest arbos quandoque renasci,
nuaa comas renovat planta feraxque viret.

Page Sect.

ante alios miser es? veniet fortasse levamen;
udum imbrem quamvis arida prata bibent.
tempora eunt vicibus: vicibus sors omnia mutat:
dura bonis cedunt et meliora malis.
non mare continuo fortunae profluit aestu,
nonnunquam refluens, quod tulit ante, rapit.
aequâ lege fluunt aestus refluuntque vicissim;
et tenui et crasso stamine fila trahit.
nil adeo laetumst quin illi terminus adsit,
nil adeo, veniat quin medicina, malum.
non folia usque cadunt, nec ver dominatur in annum,
nec nox perpetua est nec sine fine dies.
est ubi cantat avis quamvis maestissima; necnon
est ubi vexati detumet ira sali.
temperat alternis vicibus sic omnia numen,
iam casum ut metuat, iamque resurgat homo.
quae tibi detraxit mala sors, sors ipsa reponet;
quod non magna capit rete, minora capit.
omnibus invidit quaedam Deus, omnia nulli;
pauci queis opus est, quae cupit ecquis habet?
gaudia non homini veniunt nisi mixta dolore:
omnino aut felix aut miser esse nequis.

145 624 The following version is by the same;

Salvete, salvete Helladis insulae,
aptabat ignes qua citharae suos
Sappho, vigescebant et artes,
pacis honos pariterque belli;
qua Delos orta est non sine Apolline;
vos sol inaurat perpetua face;
sed praeter aestatem rapaci
cetera deperiere fato.
prospectat agros mons Marathonios,
unde ille pontus cernitur. hic mihi,
dum saecla volvebam priora,
Graecia compedibus soluta

Page Sect.

astare visa est. non poteram amplius
servire, Persarum insiliens rogo.
sedebat in saxo tyrannus
unde patet Salaminis aequor,
subter iacebant innumerae rates
gentesque totae. quas numeraverat
surgente sub Phoebo, cohortum
quantula pars abeunte restat?

48 643 These lines are printed with one or two unimportant alterations, as they were written in an exercise for the Chancellor's Medal, 1862

159 733 II l. 2, for *Norvegiis* read *Alpinis*

169 781 From *Musae Britannicae*, Londini, 1711

171 789 The version is by DR S. JOHNSON

172 789 III From *Poems Latin Greek and English* by Nicholas Hardinge, M.A., Fellow of King's College, Cambridge, London, 1818

177 817 Written as an exercise for the Classical Tripos Examination, Cambridge, 1856

180 837—840
184 850—852
187 871—872
} From a version of Denham's *Cooper's Hill* in the *Musae Anglicanae*, edited by EDWARD POPHAM, M.A. Fellow of Oriel College, Vol. I. p. 212

190 892
191 893
} From a translation of Spenser's *Shepherd's Calendar*, by THEODORE BATHURST, M.A., Fellow of Pembroke College, Cambridge, edited by W. DILLINGHAM, Fellow of Emmanuel College, A.D. 1653

196 924 From the *Spectator*, No. 412, on *The pleasures of the Imagination*

Page Sect.

200 938 From a translation of the First Book of Milton's *Paradise Lost* by T. POWER, M.A., Fellow of Trinity College, Cambridge

209 972 From a translation of the First Book of the *Paradise Lost*, by M. BOLD, LL.D. Fellow of Trinity Hall, Cambridge

218 1029 From FABRICIUS *Poetarum veterum Christianorum opera*, p. 302; TRENCH, *Sacred Latin Poetry*, p. 181, *ed.* I

243 16 From *Praelectiones de Poeticae Vi medica*, p. 502

244 25 There is a translation from the Greek into Iambics by A. NAUGERIUS:

siquid remedii lacrimae afferrent malis
minorque fieret semper lugenti dolor,
auro parandae lacrimae nobis forent;
sed nil, here, isthaec prosunt, res ipsae nihil
moventur istis; sive tu semper fleas,
seu numquam, eandem pergere insistent viam.
quid his iuvamur ergo? nil certe, at dolor,
ut ipsa fructus arbor, sic lacrimas habet.

249 54 Written as an exercise for the Classical Tripos, 1852, by E. MACNAGHTEN, M.A. Fellow of Trinity College

251 64 Printed in R. M. MILNES' *Poems of many years*, p. 86

257 146 The following version from POPHAM'S *Musae Anglicanae* Vol. III. p. 45, was omitted accidentally:

Echo, ades, aetheriae testudinis incola dulcis,
virginis exaudi, nympha benigna, preces:
quae prius ipsa loqui quantumvis nescia quemque
scis tibi commissum fida referre sonum.
sive cavae resides clamosa cacumine rupis,
quam Sabrina suis turgida pulsat aquis:

Page Sect.

sive colens vallem gaudes iterare querellas
Attica quas liquido gutture fundit avis.
dic age, vidistin per devia tesqua vagantis
haec una iuvenes, garrula nympha, duos?
si tibi signa quibus possint notescere quaeras,
formam Narcissi praebet uterque tui:
o si frondoso subductos abdis in antro,
me cum dilectis fratribus abde simul.
sin tamen hoc renues, saltem concede petenti
illis ut nostros perferat aura sonos.
sic tibi voce choris meritae caelestibus addi
detur caelestes ingeminare modos.

278 258 III written as an Exercise for the Trinity Scholarship Examination, Cambridge, 1842

281 271 written as an Exercise for the same Examination, 1843

285 286 from *Praelectiones Academicae de sacra Poesi Hebraeorum*

401 from *Pindari Opera omnia latino carmine reddita per* NICOLAUM SUDORIUM *in Curia Parisiensi inquisitionum praesidem*, Lutetiae, ex officina F. Morelli, 1582

INDEX OF FIRST LINES TRANSLATED

INDEX OF FIRST LINES TRANSLATED

A

		PAGE
Ἀ Κύπρις τὸν Ἔρωτα τὸν υἱέα μακρὸν ἐβώστρει	*Moschus*	254
Ἀ μὲν οὔθ' ἱστῶν παλιμβάμους ἐφίλησεν ὁδούς	*Pindarus*	319
A fairer person lost not heaven; he seemed	*Milton*	150
A flower that does with opening morn arise	*Prior*	207
A man so various that he seemed to be	*Dryden*	152
A single step that freed me from the skirts	*Wordsworth*	235
A wind came up out of the sea	*Longfellow*	47
Above the rest a rural nymph was famed	*Pope*	131
Absent or dead, still let a friend be dear	*Pope*	138
Ἀκρὶς ἐμῶν ἀπάτημα πόθων παραμύθιον ὕπνου	*Meleager*	12
Aethereal race, inhabitants of air	*Thomson*	72
Again those sounds sweep on		244
Ah fading joy! how quickly art thou past	*Dryden*	249
Ah, friend, 'tis true: this truth you lovers know	*Pope*	42
Ah why, unfeeling winter, why	*J. Montgomery*	86
Alas, they had been friends in youth	*S. T. Coleridge*	111
Alas, what boots it with incessant care	*Milton*	210-11
All earthly charms however dear	*H. More*	251
All in a moment through the gloom were seen	*Milton*	154
All my past life is mine no more	*Rochester*	169
All worldly shapes shall melt in gloom	*Campbell*	378
Ἀλλ' ἐπεὶ σπλαγχνων ὕπο μάτερος	*Pindarus*	320
Almighty Spirit, thou that by	*H. Vaughan*	300
Ἄλσος δ' ὡς ἰὲόμεσθα βαθύσκιον εὕρομεν ἔνδον	*Plato*	8
And either tropic now 'gan thunder	*Milton*	216-17
And must sad Eva lose her lord?	*Lewis*	119
And now the nightingale not distant far	*Southey*	158
And when the Sun begins to fling	*Milton*	264
And wilt thou weep when I am low	*Byron*	32
Another part in squadrons and gross bands	*Milton*	194
Anon out of the earth a fabric huge	*Milton*	209-10
Ἀρετὰ πολύγμοχθε γένει βροτείῳ	*Aristoteles*	316-18
Ἄρματα μὲν τάδε λαμπρὰ τεθρίππων	*Euripides*	330
As bees in spring-time	*Milton*	200-2
As in the cool of early day	*Gay*	146

		PAGE
As new waked from soundest sleep	*Milton*	232
As o'er the past my memory strays	*Bishop Middleton*	92, 400
As streams that run o'er golden mines	*Wordsworth*	13
As the fond bird through night and morn	*Anon.*	15
As when a shepherd of the Hebrid isles	*Thomson*	151
Ask me no more my truth to prove	*E. Tollet*	285
At summer's eve, when heaven's ethereal bow	*Campbell*	49
Αὐταί σοι στομάτεσσιν ἀνηρείψαντο μέλισσαι	*Anon.*	7
Avenge, O Lord, thy slaughtered saints whose bones	*Milton*	256
Away; let nought to love displeasing	*Anon.*	147
Ἠὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον	*Theocritus*	118
B		
Begin the song and strike the living lyre	*Cowley*	243
Behind her neck her comely tresses tied	*Prior*	199
Behold where age's wretched victim lies	*Prior*	171
Beneath that tree's great shadow on the plain	*Anon.*	218
Beneath the silent chambers of the earth	*Cowley*	173
Birds that are long in cages awed	*D'Avenant*	15
Blows not a blossom on the breast of spring	*Langhorne*	65
Boy, ere the cares of life lie dim	*Anon.*	15
Bright be the place of thy soul	*Byron*	79
Busy, curious, thirsty fly	*W. Oldys*	27, 398
But canst thou wield the sword and bend the bow	*Prior*	45
But hark, the din of arms! no time for sorrow	*Rogers*	82
But he's the Tityus who is robbed of rest	*Anon*	389
But his proud head the airy mountain hides	*Sir J. Denham*	186
But she with sick and scornful looks averse	*Tennyson*	193
But that immortal spirit which was deckt	*Spenser*	279
But thou who own'st that earthly bed	*Collins*	302
By music minds an equal temper know	*Pope*	227
C		
Can I cease to care	*Burns*	253
Care, thou canker of all joys	*Grant*	392
Cease, man of woman born, to hope relief	*Prior*	193
Cease, O Ulysses, cease at length to mourn	*Landor*	174
Cease, rude Boreas, blustering railer	*G. A. Stevens*	345
Κηρύσσω τὸν Ἔρωτα τὸν ἄγριον· ἄρτι γὰρ ὄρτι	*Meleager*	30
Χείματος ἠνεμόεντος ἀπ' αἰθέρος οἰχομένοιο	*Meleager*	125
Χρυσέα φόρμιγξ Ἀπόλλωνος καὶ ἰοπλοκάμων	*Pindarus*	323-5
Cicada, thou who tipsy with the dews	*F. Wrangham*	252
Cold on Canadian hills or Minden's plain	*Langhorne*	5
Come take thy harp: 'tis vain to muse	*T. Moore*	67
Come then, my friend! my genius come along	*Pope*	189
Consider ye and call for the mourning women	*Jeremiah*	286
Κογχὸς ἐγώ, Ζεφυρῖτι, παλαίτερος· ἀλλὰ σὺ νῦν με	*Callimachus*	20
Content with poverty my soul I arm	*Dryden*	275-6
Creator Venus, genial power of love	*Dryden*	157
Cupid and my Campaspe played	*Lyly*	44
D		
Δάκρυά σοι καὶ νέρθε διὰ χθονὸς Ἡλιοδώρα	*Meleager*	17
Damon behold yon breaking purple cloud	*Dryden*	156
Departing summer hath assumed	*Wordsworth*	104

		PAGE
Devouring Time, blunt thou the lion's paw	*Shakespeare*	52
Devouring time with stealing pace	*Booth*	6
Down thither prone in flight	*Milton*	237-8
E		
Each evening I behold the setting sun	*Prior*	59
Early wert thou taken, Mary	*Aytoun*	78
Ἐγὼ δὲ πλόκαμον ἀναδέτοις	*Euripides*	331
Εἰ τὰ δάκρυ' ἡμῖν τῶν κακῶν ἦν φάρμακον	*Philemon*	244
Εἴπέ τις, Ἡράκλειτε, τεὸν μόροῦ ἐς δέ με δάκρυ	*Callimachus*	6
Ἦλθεν δ' ὑπὸ σπλάγχνων Ἴαμος	*Pindarus*	326
Ἡρέμ' ὑπὲρ τύμβοιο Σοφοκλέος, ἠρέμα, κισσέ	*Simmias*	9
Ere sin could blight or sorrow fade	*S. T. Coleridge*	2
Even so the gentle Tyrian dame	*Cowley*	26
Even such is time that takes on trust	*Sir W. Ralegh*	10
Extol not riches then, the toil of fools	*Milton*	197
F		
Fade, flowers, fade, nature will have it so	*Waller*	10
Fair daffodils, we weep to see	*Herrick*	265
Fair liberty pursued, and meant a prey	*Denham*	187
Fair pledges of a fruitful tree	*Herrick*	281
Fair ship that from the Italian shore	*Tennyson*	291-3
Fairest isle, all isles excelling	*Dryden*	248-9
Fame is the spur that the clear spirit doth raise	*Milton*	211
Farewell too little and too lately known	*Dryden*	129
Father, thy hand hath reared these venerable columns	*Bryant*	189
Few are my years and yet I feel	*Byron*	261
Fired at first sight with what the Muse imparts	*Pope*	164
First-born of Chaos, who so fair didst come	*Cowley*	269
First in his east the glorious lamp was seen	*Milton*	184
First shall the heavens want starry light	*Lodge*	39
Fix me on some bleake precipice	*Habington*	32
For that a branch cut off, a withered rod	*Prior*	220
For thou wert born of woman	*Milman*	288
For whoso holds in righteousness the throne	*Anon.*	332
Forgive, blest shade, the tributary tear	*Anon.*	13
Forsake me not so soone; Castara, stay	*Habington*	55
Forsake me not thus, Adam! witness Heaven	*Milton*	215
Forthwith the sounds and seas, each creek and bay	*Milton*	161
Fresh as the month and as the morning fair	*Dryden*	196
Friendship, peculiar boon of heaven	*Johnson*	130
G		
Gather ye rose-buds while ye may	*Herrick*	73
Gay child of spring and zephyr, grasshopper	*Wrangham*	46
Gem of the crimson-coloured eve	*Campbell*	121
Γλαύκας ὦ φιλέριθ' ἅλακάτα δῶρον Ἀθανάας	*Theocritus*	327
Go forth, for she is gone	*Hemans*	100
Go, lovely rose	*Waller*	118
Go then, forgetful of its toil and strife	*Jenyns*	158
Go up and watch the new-born rill	*Keble*	286
Goe find some whispering shade neare Arne or Poe	*Habington*	283
Gone are the glorious Greeks of old	*Bryant*	307, 392

H

		PAGE
Had thy great destiny but given thee skill	*Denham*	154
Hail, old patrician trees, so great and good	*Cowley*	338
Hark, hark! the lark at heaven's gate sings	*Shakespeare*	243
Hark! the wild maniac sings to chide the gale	*Campbell*	155
Haste, my rein-deer, and let us nimbly go	*Steele*	76
He ended and the Archangel soon drew nigh	*Milton*	153
He looked and saw wide territory spread	*Milton*	213-14
He spoke and Sohrab smiled on him and took	*M. Arnold*	221
He that loves a rosy cheek	*Carew*	246
He went into the woods a laughing boy	*Anon.*	50
He who hath bent him o'er the dead	*Byron*	379
Hear ye this word which I take up against you	*Jeremiah*	242
Her tears fell with the dews of even	*Tennyson*	24, 384
Her short performance was no sooner tried	*Dryden*	391
Here I could frequent	*Milton*	182
Here rests his head upon the lap of earth	*Gray*	22
Him fortune cannot sink or much elate	*S. Jenyns*	156
His eyes he opened and beheld a field	*Milton*	192
His spear to equal which the tallest pine	*Milton*	159
Home they brought her warrior dead	*Tennyson*	80
How dull to hear the voice of those	*Byron*	261
How glorious is thy girdle cast	*Campbell*	34
How happy is he born and taught	*Sir H. Wotton*	293-4
How richly glows the water's breast	*Wordsworth*	88
How short is life's uncertain space	*Merrick*	259
How sleep the brave who sink to rest	*Collins*	35
How sweet it were, hearing the downward stream	*Tennyson*	253
How vainly men themselves amaze	*A. Marvell*	180

I

I am the daughter of earth and water	*Shelley*	21
I'm no slave to such as you be	*Wither*	139
I asked thee, Give me immortality	*Tennyson*	179
I bring fresh showers for the thirsting flowers	*Shelley*	20
I do confess thou 'rt smooth and fair	*Anon.*	38
I have a garden of my own	*T. Moore*	74
I know not why the beech delights the glade	*Prior*	231
I loved my home but trembled now	*Moultrie*	81
I ne'er could any lustre see	*Sheridan*	96
I see ambition never pleased	*Sylvester*	29
I've hung upon the ridgy steep	*Crabbe*	26
I weigh not fortune's frown or smile	*Sylvester*	29
I would be calm, I would be free	*R. M. Milnes*	97
I would I were a careless child	*Byron*	260
Icarius though their love he had approved	*Landor*	191
If to be absent were to be	*Lovelace*	278
Ἰλίῳ αἰπείνᾳ Πάρις οὐ γάμον ἀλλά τιν' ἄταν	*Euripides*	55
Illustrious souls, if any tender cares	*Jenyns*	161
In a drear-nighted December	*Keats*	310
In all my wanderings round this world of care	*Goldsmith*	48
In doubtful twilight nature sleeps	*Wrangham*	340
In lowly dale fast by a river's side	*Thomson*	115

		PAGE
In other part stood one who at the forge	*Milton*	152
In that fair clime the lonely herdsman stretched	*Wordsworth*	212
In the calm spring when the earth bears	*H. Vaughan*	313
In vain on father Thames she calls for aid	*Thomson*	132
In vain to me the smiling morning shines	*Gray*	40
In vain you tell your parting lover	*Prior*	43
In yonder grove a Druid lies	*Collins*	301
Ἴσον δὲ νύκτεσσιν αἰεί	*Pindarus*	322
It must be so: Plato, thou reasonest well	*Addison*	377
It is not beauty I demand	*Anon.*	274-5
It is not growing like a tree	*Ben Jonson*	244
It is the hour when from the boughs	*Byron*	145
It would less vex distresséd man	*H. Vaughan*	303
J		
Joined to the prattle of the purling streams	*Thomson*	116
Just guardian of man's social bliss	*Antijacobin*	45
K		
Know ye the land where the cypress and myrtle	*Byron*	113
L		
Λάμπαδα θεὶς καὶ τόξα βοήλατιν εἵλετο ῥάβδον	*Moschus*	9
Lawrence, of virtuous father virtuous son	*Milton*	255
Leave off unfit complaints and clear	*Cowley*	334
Leaves have their time to fall	*Hemans*	116
Let not thy youth and false delights	*H. Vaughan*	285
Let other bards of angels sing	*Wordsworth*	97
Let us quit the leafy arbour	*Wordsworth*	287-8
Let us turn hitherward our bark they cried	*Trench*	342
Like as the waves make towards the pebbled shore	*Shakespeare*	52
Like the gale that sighs along	*Moore*	12
Live while you live, the epicure would say	*Doddridge*	7
Lo! streams that April could not check	*Wordsworth*	88
Look nature through: 'tis revolution all	*Young*	160, 390
Love gives the roses of thy lips	*Anon.*	101
Lovely lasting peace of mind	*Parnell*	283
Lyke as a ship that through the Ocean wide	*Spenser*	53
Lyke as the culver on the bared bough	*Spenser*	254
M		
Many a year is in its grave	*Longfellow*	142
Me let the tender office long engage	*Pope*	4
Meanwhile the south-wind rose and with black wings	*Milton*	219
Μέγα τι σθένος ἁ Κυπρὶς ἐκφέρεται	*Sophocles*	328
Μεσονυκτίοις ποθ' ὥραις	*Anacreon*	131
Μήτε βαθυκτέανοιο τύχης κουφίζεο ῥοίζῳ	*Paulus Silentiarius*	7
Mild offspring of a dark and sullen sire	*K. White*	297
Mortal, if e'er thy spirits faint	*Anon.*	39
Much he the place admired, the person more	*Milton*	162
Music the fiercest grief can charm	*Pope*	242
My Chloris, mark how green the groves	*Burns*	141
My eye descending from the hills surveys	*Denham*	184

		PAGE
My eyes are dim with childish tears	*Wordsworth*	243
My heart leaps up when I behold	*Wordsworth*	244
My mother! when I learned that thou wast dead	*Cowper*	128
My soul is dark: oh! quickly string	*Byron*	67

N

Nay say not so, nor cloud the sun	*Anon.*	98
No fish stir in our heaving net	*Anon.*	107
No longer seek the needless aid	*W. Duncombe*	344
No sister e'er hath been to thee with pearly eyes of love	*Aird*	157
No unexpected inundations spoil	*Sir J. Denham*	185
Nor less at hand the loosened tempest reigns	*Thomson*	197
Not, Celia, that I juster am	*Sir C. Sedley*	100
Now come, ye Naiads, to the fountain lead	*Armstrong*	239
Now dawns the rising of a brighter age	*Cowper*	170
Now morn her rosy steps in the eastern clime	*Milton*	220
Now spring has clad the groves in green	*Burns*	68-71
Now the golden morn aloft	*Gray*	311, 393

O

O, be thou blest with all that heaven can send	*Pope*	114
O beauty, brightest progeny of heaven	*Akenside*	224-5
O blest retirement, friend to life's decline	*Goldsmith*	99
O, happy shades, to me unblest	*Cowper*	142
O hush thee, my babie, thy sire was a knight	*Sir W. Scott*	22
O, many a dream was in the ship	*J. Wilson*	143
Ὦ φάος ἁγνόν	*Sophocles*	329
O silvery streamlet of the fields	*Bryant*	98
O snatched away in beauty's bloom	*Byron*	266
O swallow, swallow, flying, flying south	*Tennyson*	308-9
O that those lips had language! life has passed	*Cowper*	127
O that we two were maying	*Kingsley*	252
O thou my lyre, awake, arise	*Akenside*	258
O thou that prattling on thy pebbled way	*W. L. Bowles*	341
O thou who bad'st thy turtles bear	*Collins*	310
O woman in our hours of ease	*Sir W. Scott*	6
Oblivious sleep, calm virtue's tranquil guest	*Anon.*	232
O'er the glad waters of the dark blue sea	*Byron*	90
Of holier joy he sang, more true delight	*Trench*	343
Of old sat freedom on the heights	*Tennyson*	33
Oft in the piping shrouds had Leonard heard	*Wordsworth*	195
Oft may the spirits of the dead descend	*Rogers*	153
Oft with its fiery force	*J. Montgomery*	315
On parent knees a naked new-born child	*Sir W. Jones*	2
Only a little more	*Herrick*	301
Or lead me where amid the tranquil vale	*Southey*	346
Orpheus with his lute made trees	*Shakespeare*	246-7
Ὅτε λάρνακι ἐν δαιδαλέᾳ ἄνεμός τέ μιν	*Simonides*	124
Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι μένει χρῆμ' ἔμπεδον αἰεί	*Simonides*	57
Out upon it, I have loved	*Sir J. Suckling*	96

P

Παντοίην βιότοιο τάμοις τρίβον· εἰν ἀγορῇ μέν	*Metrodorus*	18
Πέμπω σοι, Ῥοδόκλεια, τόδε στέφος, ἄνθεσι καλοῖς	*Rufinus*	8

		PAGE
Phillis is my only joy	*Sir C. Sedley*	284
Ποίην τις βιότοιο τέμοι τρίβονς εἰν ἀγορῇ μέν	*Poseidippus*	17, 397

Q

Queen and huntress, chaste and fair	*Ben Jonson*	279-80
Queen of the silver bow, by thy pale beam	*C. Smith*	46

R

Rapt into future times the bard begun	*Pope*	204
Rarely, rarely comest thou	*P. B. Shelley*	276-8
Remote, unfriended, melancholy, slow	*Goldsmith*	137
Resolved to dust entombed here lieth love	*Watson*	110
Retired with purpose your fair worth to praise	*Ben Jonson*	13
Rise up, my love, my fair one and come away	*Solomon*	91
Risest thou thus, dim dawn, again	*Tennyson*	290-1

S

Sacred goddess, Mother Earth	*P. B. Shelley*	250
Saturn, look up: though wherefore poor old king	*Keats*	208
Say, Myra, why is gentle love	*Lyttelton*	36
See, Flavia, see that budding rose	*Shenstone*	144
See how the orient dew	*Marvell*	105
See the soft green willow springing	*Keble*	87
Servant of God! well done	*J. Montgomery*	314
Shall I be left forgotten in the dust	*Beattie*	152
She dwelt among the untrodden ways	*Wordsworth*	24
She had left all on earth for him	*Lord Houghton*	251
She is far from the land where her young hero sleeps	*Moore*	386
She is not fair to outward view	*H. Coleridge*	30
She passed away like morning dew	*H. Coleridge*	21
She walks in beauty like the night	*Byron*	111
Shun delayes: they breed remorse	*Southwell*	102, 387
Slow sinks more lovely ere his race be run	*Byron*	109, 387
Slowly they sail, slowly as icy isle	*Keats*	215
Smiles on past misfortune's brow	*Gray*	312
So her disembowelled web	*J. Philips*	176
So spake he half in anger half in scorn	*M. Arnold*	202
So spake our Morning Star then in his rise	*Milton*	230
So spake the grisly terror and in shape	*Milton*	175-6
So the soul, that drop, that ray	*Marvell*	106
So the struck eagle stretcht upon the plain	*Byron*	150
So we'll go no more a roving	*Byron*	252
Soul of the just, companion of the dead	*Campbell*	187
Sound of vernal showers	*P. B. Shelley*	41
Statesman, yet friend to truth! of soul sincere	*Pope*	5
Stay, rivulet, nor haste to leave	*Bryant*	121, 388
Stella and Flavia every hour	*Pilkington*	385
Still to be neat, still to be drest	*Ben Jonson*	25
Suns that set and moons that wane	*Cowper*	60
Supreme divinity who yet	*Habington*	273
Sweet, be not proud of those two eyes	*Herrick*	16
Sweet Echo, sweetest nymph that livest unseen	*Milton*	257-8, 403
Sweet is love and sweet is the rose	*Lord Strangford*	4
Sweet Isis, thy stream as despairing I lie	*Headley*	120

		PAGE
Sweet nurslings of the vernal skies	*Keble*	87
Sweet spring, thou turn'st with all thy goodly train	*Drummond*	54
Sweet to the morning traveller	*Southey*	120
Sweet zephyr, why that sound of woe	*Bryant*	123
Sweetest love, I do not go	*Donne*	337
Swifter far than summer's flight	*P. B. Shelley*	62
Swiftly turn the murmuring wheel	*Wordsworth*	281-2
Swiftly walk o'er the western wave	*P. B. Shelley*	340
T		
Take, holy earth, all that my soul holds dear	*Mason*	95
Τανταλὶ παῖ Νιόβα κλύ' ἐμὰν φάτιν ἄγγελον ἄτας	*Meleager*	30
Τὰ μὲν κατ' οἴκους ἐφ' ἑστίας ἄχη	*Aeschylus*	322
Τὰν ὀλοὰν Μήδειαν ὅτ' ἔγραφε Τιμομάχου χείρ	*Antiphilus*	11
Tears, idle tears, I know not what they mean	*Tennyson*	165-7
Tell me, my heart, fond slave of hopeless love	*Lyttelton*	114
Tell me, on what holy ground	*S. T. Coleridge*	44
Tell me, thou soul of her I love	*Thomson*	85
Tell me, ye studious who pretend to see	*Prior*	150
Θάλλει τετρακόρυμβος, Ἀνάκρεον, ἀμφὶ σὲ κισσός	*Antipater*	10
That day I oft remember, when from sleep	*Milton*	236
That there's a self which after death shall live	*S. Jenyns*	174
That time of year thou mayst in me behold	*Shakespeare*	43
The adorning thee with so much art	*Cowley*	4
The bird let loose in eastern skies	*Moore*	66
The boatmen shout 'Tis time to part	*Carlyle*	75
The clouds that wrap the setting sun	*Keble*	72
The colour from the flower is gone	*P. B. Shelley*	18
The damaske meddowes and the crawlinge streames	*Corbet*	113
The dewdrop that at first of day	*G. Gascoigne*	28
The earth and ocean were not hushed to hear	*Milman*	289
The envious snows came down in haste	*Anon.*	3
The feathered husband to his partner true	*Addison*	196
The fields are ravished from the industrious swains	*Pope*	151
The first fresh dawn then waked the gladdened race	*Thomson*	173
The fountains mingle with the river	*P. B. Shelley*	272
The glories of our blood and state	*Shirley*	305-6
The god of shepheards, Tityrus, is dead	*Spenser*	208
The isles of Greece, the isles of Greece	*Byron*	145, 401
The lamb thy riot dooms to bleed to-day	*Pope*	2
The lark now leaves his watery nest	*D'Avenant*	245-6
The lark that shuns on lofty boughs to build	*Waller*	149
The little floweret's peaceful lot	*Burns*	68
The lopped tree in time may grow again	*Southwell*	126, 400
The merchant to secure his treasure	*Prior*	93
The merry waves dance up and down and play	*Cowley*	250
The mistie clouds that fall somtime	*Gascoigne*	13
The morning rose that untouched stands	*Anon*	39
The night it was still and the moon it shone	*Kirke White*	122
The night of sorrow now is turned to day	*Shakespeare*	19
The peace of heaven attend thy shade	*Logan*	267
The rites derived from ancient days	*Johnson*	76-8
The shepherd touched his reed; sweet Philomel	*Cowper*	93
The silent moon had scaled the vaulted skies	*Shenstone*	123

		PAGE
The small birds rejoice in the green leaves returning	*Burns*	386
The smiling morn, the breathing spring	*Smollett*	83
The smiling spring comes in rejoicing	*Burns*	61
The snow that crowns each mountain's brow	*W. Herbert*	303
The soveraigne of the seas he blames in vaine	*Spenser*	191
The soul uneasy and confined from home	*Pope*	58
The stag now conscious of his fatal growth	*Denham*	180
The stag too singled from the herd where long	*Thomson*	203
The stars are with the voyager	*T. Hood*	94
The sun-beams are my shafts with which I kill	*P. B. Shelley*	103
The swallows in their torpid state	*Cowper*	389
The violet in her greenwood bower	*Sir W. Scott*	38
The way was long; the wind was cold	*Sir W. Scott*	135-7
The wild swan's death-hymn took the soul	*Tennyson*	168
The winds are high on Helle's wave	*Byron*	84
The winds are high, and Helle's tide	*Byron*	84
The wished-for wind was given: I then resolved	*Wordsworth*	106
Then as the spring gives place to elder time	*Spenser*	190
There are more things in heaven and earth than we	*A. A. Procter*	94
There is a single stone above yon wave	*Fosbery*	335
There is no flock however watched and tended	*Longfellow*	19
There was a time when Aetna's silent fire	*Cowper*	188
These are the forgeries of jealousy	*Shakespeare*	240
They heard and were abashed and up they sprung	*Milton*	222-4
They sin who tell us love can die	*Southey*	295
This morning, timely rapt with holy fire	*Ben Jonson*	82
Those fiends upon a shaking fen	*Crabbe*	26
Thou as a gallant bark from Albion's coast	*Cowper*	128
Thou barraine ground, whom winters wrath hath wasted	*Spenser*	217
Thou rising sun whose gladsome ray	*Steele*	298-9
Thou who shalt stop where Thames' translucent wave	*Pope*	171-2
Though the torrents from their fountains	*Wordsworth*	272
Three poets in three distant ages born	*Dryden*	7
Through groves sequestered, dark and still	*Hawkesworth*	63
Thus saying, from her husband's hand her hand	*Milton*	228-9
Thus the gay moth by sun and vernal gales	*Anon.*	149
Thyrsis when we parted swore	*Gray*	34
'Tis earth shall lead destruction, she shall end	*P. J. Bailey*	226
'Tis not rich furniture and gems	*H. Vaughan*	333
'Tis on some evening sunny, grateful, mild	*Thomson*	178
'Tis pleasant by the cheerful hearth to hear	*Southey*	391
Τίς; πόθεν ὁ πλάστης; Σικυώνιος· οὔνομα δὴ τίς	*Poseidippus*	20
To fair Fidele's grassy tomb	*Collins*	133
To him who in an hour must die	*Lyttelton*	37
To me most happy therefore he appears	*S. Jenyns*	186
Τὸν κλέπταν ποκ' Ἔρωτα κακὰ κέντασε μέλισσα	*Theocritus*	11
Τὸν θάνατον τί φοβεῖσθε τὸν ἡσυχίης γενετῆρα	*Agathias*	8
Tread lightly here, for here, 'tis said	*Rogers*	33
Turn I my looks unto the skies	*T. Lodge*	51
Turn we a moment fancy's rapid flight	*Thomson*	198
'Twas on a lofty vase's side	*Gray*	148
U		
Ὑγιεία πρεσβίστα μακάρων	*Ariphron*	31

		PAGE
Underneath this sable herse	*Ben Jonson*	5
Unhappy man! with storms of passion tost	*Gay*	177
Up with me, up with me into the clouds	*Wordsworth*	336
V		
Victorious men of earth, no more	*Shirley*	273
Vital spark of heavenly flame	*Pope*	104
W		
We watched her breathing through the night	*Hood*	14
Weep no more nor sigh nor groan	*Beaumont*	16
Weep not over poet's wrong	*J. Hedderwick*	61
We'll sit, my love, upon the shore	*Habington*	140
Well then I now do plainly see	*Cowley*	259
What ailed thee, Robin, that thou couldst pursue	*Wordsworth*	58
What doth it serve to see the sun's bright face	*Drummond*	54
What liberty so glad and gay	*Keble*	266
What though no weeping loves thy ashes grace	*Pope*	18
What woke the buried sound that lay	*Hemans*	264
When fair Serena first I knew	*T. Seward*	90
When from the cave thou risest with the day	*Prior*	103
When from the pallid sky the sun descends	*Thomson*	163
When I think on your truth I doubt you no more	*Anon.*	37
When in disgrace with fortune and men's eyes	*Shakespeare*	53
When Israel was from bondage led	*Cowley*	304
When lovely woman stoops to folly	*Goldsmith*	15
When Neptune towering o'er her Adrian wave	*Smedley*	6
When the gay sun first breaks the shades of night	*Gay*	212
When to the sessions of sweet silent thought	*Shakespeare*	254-5
When Venus from her orb descends in showers	*Dryden*	167
When we meet as when we part	*Anon*	262
Where shall the lover rest	*Sir W. Scott*	263
Where shall the traitor rest	*Sir W. Scott*	263
While musing thus, with contemplation fed	*A. Bradstreet*	177
While not a leaf seems faded, while the field	*Wordsworth*	257
Who shall awake the Spartan fife	*Collins*	339
Why dost thou heap up wealth	*Cowley*	296
Why should I blush that fortune's frown	*Carlyle*	40
Why sit'st thou by that ruined hall	*Sir W. Scott*	63
With head reclined, the snow-drop see	*Cowper*	66
With richer stuff he bade heaven's fabric shine	*Cowley*	183
Woods, hills and rivers now are desolate	*Spenser*	102
Y		
Ye nymphs of Solyma, begin the strain	*Pope*	204
Yet measuring all the long-continued space	*Prior*	194

CAMBRIDGE,
April, 1865.

PUBLISHED BY

DEIGHTON, BELL, AND CO.

Agents to the University,

AND

BELL AND DALDY, LONDON.

NOW IN COURSE OF PUBLICATION.

Uniformly printed in Foolscap 8vo.

Cambridge School and College Text Books,

A Series of Elementary Treatises adapted for the Use of Students in the Universities, Schools, and Candidates for the Public Examinations.

In order to secure a general harmony in the treatment, these works will be edited by Members of the University of Cambridge, and the methods and processes employed in University teaching will be followed.

Principles will be carefully explained, clearness and simplicity will be aimed at, and an endeavour will be made to avoid the extreme brevity which has so frequently made the Cambridge treatises too difficult to be used by those who have not the advantage of a private Tutor. Copious examples will be added.

Now Ready.

ARITHMETIC for the use of Schools and Colleges. By A. WRIGLEY, M.A. Professor of Mathematics in the late Royal Military College, Addiscombe. 3*s*. 6*d*. cl.

ELEMENTARY TRIGONOMETRY. By T. P. HUDSON, M.A. Fellow of Trinity College. 3*s*. 6*d*. cl.

ELEMENTARY STATICS. By the Very Rev. H. GOODWIN, D.D. DEAN OF ELY. 3*s*. cl.

ELEMENTARY DYNAMICS. By the Very Rev. H. GOODWIN, D.D. DEAN OF ELY. 3*s*. cl.

[*Continued*]

ELEMENTARY HYDROSTATICS. By W. H. BESANT, M.A., Late Fellow of St John's College. 4*s.* cl.

MENSURATION, An Elementary Treatise on. By B. T. MOORE, M.A., Fellow of Pembroke College, Professor of Mathematics, Royal Staff College, Sandhurst. With numerous Examples. 5*s.*

ELEMENTARY GEOMETRICAL CONIC SECTIONS. By W. H. BESANT, M.A., Late Fellow of St John's College. [*In the Press.*

ELEMENTARY CHEMISTRY. By G. D. LIVEING, M.A., Late Fellow of St John's College. *Preparing.*

Now in course of Publication,

Cambridge Greek and Latin Texts,

CAREFULLY REPRINTED FROM THE BEST EDITIONS.

THIS series is intended to supply for the use of Schools and Students cheap and accurate editions of the Classics, which shall be superior in mechanical execution to the small German editions now current in this country, and more convenient in form.

The texts of the "*Bibliotheca Classica*" and "*Grammar-School Classics,*" so far as they have been published, will be adopted. These editions have taken their place amongst scholars as valuable contributions to the Classical Literature of this country, and are admitted to be good examples of the judicious and practical nature of English scholarship; and as the editors have formed their texts from a careful examination of the best editions extant, it is believed that no texts better for general use can be found.

The volumes are well printed at the Cambridge University Press, in a 16mo. size, and are issued at short intervals.

The following are now ready.

NOVUM TESTAMENTUM Graecum, Textus Stephanici, 1550. Accedunt variae lectiones editionum Bezae, Elzeviri, Lachmanni, Tischendorfii, Tregellesii. Curante F. H. SCRIVENER, A.M. 4*s.* 6*d.*

An Edition on writing paper, for Notes. 4*to.* *half-bound.* 12*s.*

AESCHYLUS, ex novissima recensione F. A. PALEY, A.M. Price 3*s.*

CAESAR DE BELLO GALLICO, recensuit G. LONG, A.M. 2*s.*

CICERO DE SENECTUTE ET DE AMICITIA ET EPISTOLAE SELECTAE, recensuit G. LONG, A.M. 1*s.* 6*d.*

EURIPIDES, ex recensione F. A. PALEY, A.M. Vol. I. 3*s.* 6*d.* Vol. II. 3*s.* 6*d.* Vol. III. 3*s.* 6*d.*

HERODOTUS, recensuit J. W. BLAKESLEY, S.T.B. 2 Vols. 3*s.* 6*d.* each Vol.

HORATIUS, ex recensione A. J. MACLEANE, A.M. Price 2*s.* 6*d.*

LUCRETIUS, recognovit H. A. J. MUNRO, A.M. 2*s.* 6*d.*

SALLUSTI CATILINA ET JUGURTHA, ex recensione G. LONG, A.M. 1*s.* 6*d.*

THUCYDIDES, recensuit J. G. DONALDSON, S.T.P. 2 Vols. 3*s.* 6*d.* each Vol.

VERGILIUS, ex recensione J. CONINGTON, A.M. 3*s.* 6*d.*

XENOPHONTIS EXPEDITIO CYRI, recensuit J. F. MACMICHAEL, A.B. 2*s.* 6*d.*

CICERONIS ORATIONES. Vol. I. Recensuit G. LONG, A.M. [*In the Press.*

JUVENAL ET PERSIUS, ex recensione A. J. MACLEANE, A.M. [*In the Press.*

OTHERS IN PREPARATION.

ARITHMETIC AND ALGEBRA.

Arithmetic for the use of Schools and Colleges. By A. WRIGLEY, M.A., Professor of Mathematics in the late Royal Military College, Addiscombe. 3*s*. 6*d*.

Principles and Practice of Arithmetic. By the Rev. J. HIND. Ninth Edition, with Questions, 4*s*. 6*d*.

*** KEY, with Questions for Examination. Second Edition. 5*s*.

A Progressive Course of Examples in Arithmetic. With Answers. By the Rev. JAMES WATSON, M.A., of Corpus Christi College, Cambridge, and formerly Senior Mathematical Master of the Ordnance School, Carshalton. *Second Edition, revised and corrected.* Fcp. 8vo. 2*s*. 6*d*.

Principles and Practice of Arithmetical Algebra, with Examples. By the Rev. J. HIND. Third Edition. 12mo. 5*s*.

Elements of Algebra. By the Rev. J. HIND. Sixth Edition, revised. 540 pp. 8vo. 10*s*. 6*d*.

Treatise on the Theory of Algebraical Equations. By the Rev. J. HYMERS, D.D. Third Edition. 8vo. 10*s*. 6*d*.

TRIGONOMETRY.

Elementary Trigonometry. By T. P. HUDSON, M.A., Fellow of Trinity College. 3*s*. 6*d*.

Elements of Plane and Spherical Trigonometry. By the Rev. J. HIND. Fifth Edition. 12mo. 6*s*.

Syllabus of a Course of Lectures upon Trigonometry and the Application of Algebra to Geometry. 8 o. 7*s*. 6*d*.

MECHANICS AND HYDROSTATICS.

Elementary Hydrostatics. By W. H. BESANT, M.A., Late Fellow of St John's College. Fcp. 8vo. 4*s.*

Elementary Hydrostatics for Junior Students. By R. POTTER, M.A. late Fellow of Queens' College, Cambridge, Professor of Natural Philosophy and Astronomy in University College, London. 7*s.* 6*d.*

The Propositions in Mechanics and Hydrostatics which are required for those who are not Candidates for Honours. By A. C. BARRETT, M.A. Third Edition. Crown 8vo. 6*s.*

Mechanical Euclid. Containing the Elements of Mechanics and Hydrostatics. By W. WHEWELL, D.D. Fifth Edition. 5*s.*

Elementary Statics. By the Very Rev. H. GOODWIN, D.D. Dean of Ely. Fcp. 8vo, cloth, 3*s.*

Elementary Dynamics. By the Very Rev. H. GOODWIN, D.D. Dean of Ely. Fcp. 8vo, cloth, 3*s.*

A Treatise on Statics. By the Rev. S. EARNSHAW, M.A. Fourth Edition. 8vo. 10*s.*

Dynamics, or, a Treatise on Motion. By the Rev. S. EARNSHAW. Third Edition. 8vo. 14*s.*

A Treatise on the Dynamics of a Rigid Body. By the Rev. W. N. GRIFFIN. 8vo. 6*s.* 6*d.*

*** SOLUTIONS OF THE EXAMPLES. 8vo. 6*s.*

Problems in illustration of the Principles of Theoretical Mechanics. By W. WALTON, M.A. Second Edition. 8vo. 18*s.*

Treatise on the Motion of a Single Particle and of two Particles acting on one another. By A. SANDEMAN, 8vo. 8*s.* 6*d.*

Of Motion. An Elementary Treatise. By the Rev. J. R. LUNN, M.A. Fellow and Lady Sadleir's Lecturer of St John's College. 8vo. 7*s.* 6*d.*

Chapter I. General principles of velocity and acceleration. Chapter II. Of the motion of a point in general. Analytical expressions for velocities and accelerations in certain directions. Chapter III. Of the motion of a point affected by a constant acceleration, the direction of which is always the same. Chapter IV. Of the motion of a point affected by an acceleration, the direction of which always passes through a fixed point. Chapter V. Of matter and force. Chapter VI. Of the dynamical laws of force, commonly called the laws of motion. Chapter VII. Of certain cases of free motion in nature. Chapter VIII. Of constrained motion of particles. Chapter IX. Of impulses and collision of particles. *Appendix.* Of the Cycloid.

Treatise on Hydrostatics and Hydrodynamics. By W. H. BESANT, M.A. 8vo. 9*s.*

The Principles of Hydrostatics. By T. WEBSTER, M.A. 8vo. 7*s.* 6*d.*

Problems in illustration of the Principles of Theoretical Hydrostatics and Hydrodynamics. By W. WALTON, M.A. 8vo. 10*s.* 6*d.*

Collection of Elementary Problems in Statics and Dynamics. Designed for Candidates for Honours, first three days. By W. WALTON, M.A. 8vo. 10*s.* 6*d.*

CONIC SECTIONS AND ANALYTICAL GEOMETRY.

Elementary Geometrical Conic Sections. By W. H. BESANT, M.A., Late Fellow of St John's College. [*Preparing.*

Conic Sections. Their principal Properties proved Geometrically. By W. WHEWELL, D.D. Master of Trinity. Third Edition. 8vo. 2*s*. 6*d*.

The Geometrical Construction of a Conic Section. By the Rev. T. GASKIN. 8vo. 3*s*.

Treatise on Conic Sections. By the Rev. J. HYMERS, D.D. Third Edition. 8vo. 9*s*.

A Treatise on the Application of Analysis to Solid Geometry. By D. F. GREGORY, M.A. and W. WALTON, M.A. Second Edition. 8vo. 12*s*.

The Elements of Conic Sections. By J. D. HUSTLER, B.D. Fourth Edition. 8vo. 4*s*. 6*d*.

A Treatise on Plane Co-ordinate Geometry. By the Rev. M. O'BRIEN. 8vo. 9*s*.

A Treatise on Analytical Geometry of Three Dimensions. By J. HYMERS, D.D. Third Edition. 8vo. 10*s*. 6*d*.

Problems in illustration of the Principles of Plane Co-ordinate Geometry. By W. WALTON, M.A. 8vo. 16*s*.

DIFFERENTIAL AND INTEGRAL CALCULUS.

An Elementary Treatise on the Differential Calculus. By W. H. MILLER, M.A. Third Edition. 8vo. 6*s*.

Treatise on the Differential Calculus. By W. WALTON, M.A. 8vo. 10*s*. 6*d*.

A Treatise on the Integral Calculus. By the Rev. J. HYMERS, D.D. 8vo. 10*s.* 6*d.*

Geometrical Illustrations of the Differential Calculus. By M. B. PELL. 8vo. 2*s.* 6*d.*

Examples of the Principles of the Differential and Integral Calculus. Collected by D. F. GREGORY. Second Edition. Edited by W. WALTON, M.A. 8vo. 18*s.*

ASTRONOMY.

Practical and Spherical Astronomy for the use chiefly of Students in the Universities. By the Rev. R. MAIN, M.A., Radcliffe Observer, Oxford. 8vo. 14*s.*

Brünnow's Spherical Astronomy. Translated by the Rev. R. MAIN, M.A. F.R.S. Radcliffe Observer. Part. I. Including the Chapters on Parallax, Refraction, Aberration, Precession, and Nutation. 8vo. 8*s.* 6*d.*

Elementary Chapters on Astronomy from the "Astronomie Physique" of Biot. By the Very Rev. HARVEY GOODWIN, D.D. Dean of Ely. 8vo. 8*s.* 6*d.*

"They were translated with a different intention, but the admirable precision and clearness of description which characterise them led me to think that the publication of them would make a useful addition to our present list of elementary books."—*Translator's Preface.*

Elements of the Theory of Astronomy. By the Rev. J. HYMERS, D.D. 8vo. 14*s.*

Lectures on Practical Astronomy. By the Rev. J. CHALLIS, M.A., F.R.S., F.R.A.S., Plumian Professor of the University. [*Preparing.*

Exercises on Euclid and in Modern Geometry, containing Applications of the Principles and Processes of Modern Pure Geometry. By J. McDOWELL, B.A., F.R.A.S., Pembroke College. pp. xxxi, 300. Crown 8vo. 8*s.* 6*d.*

Elementary Course of Mathematics. By HARVEY GOODWIN, D.D. Dean of Ely. Fifth Edition. 8vo. 15*s.*

Problems and Examples, adapted to the "Elementary Course of Mathematics." By HARVEY GOODWIN, D.D. Dean of Ely. Third Edition, revised, with Additional Examples in Conic Sections and Newton. By THOMAS G. VYVYAN, M.A. Fellow of Gonville and Caius College. 8vo. 5*s.*

Solutions of Goodwin's Collection of Problems and Examples. By W. W. HUTT, M.A. late Fellow of Gonville and Caius College. Third Edition, revised and enlarged. By the Rev. T. G. VYVYAN, M.A. 8vo. 9*s.*

Collection of Examples and Problems in Arith-metic, Algebra, Geometry, Logarithms, Trigonometry, Conic Sections, Mechanics, &c. with Answers and Occasional Hints. By the Rev. A. WRIGLEY. Sixth Edition. 8vo. 8*s.* 6*d.*

A Companion to Wrigley's Collection of Examples and Problems, being Illustrations of Mathematical Processes and Methods of Solution. By J. PLATTS, Esq., and the Rev. A. WRIGLEY, M.A. 8vo. 15*s.*

Newton's Principia. First Three Sections, with Appendix, and the Ninth and Eleventh Sections. By the Rev. J. H. EVANS, M.A. Fourth Edition. 8vo. 6*s.*

Series of Figures Illustrative of Geometrical Optics. From SCHELLBACH. By the Rev. W. B. HOPKINS. Plates Folio. 10*s.* 6*d.*

A Treatise on Crystallography. By W. H. MILLER, M.A. 8vo. 7*s.* 6*d.*

A Tract on Crystallography, designed for Students in the University. By W. H. MILLER, M.A. Professor of Mineralogy in the University of Cambridge. 8vo. 5*s.*

Physical Optics, Part II. The Corpuscular Theory of Light discussed Mathematically. By RICHARD POTTER, M.A. Late Fellow of Queens' College, Cambridge, Professor of Natural Philosophy and Astronomy in University College, London. 7*s.* 6*d.*

The Greek Testament: with a critically revised Text; a Digest of Various Readings; Marginal References to Verbal and Idiomatic Usage; Prolegomena; and a Critical and Exegetical Commentary. For the use of Theological Students and Ministers. By HENRY ALFORD, D.D. Dean of Canterbury.

Vol. I. Fifth Edition, containing the Four Gospels. 1*l.* 8*s.*

Vol. II. Fourth Edition, containing the Acts of the Apostles, the Epistles to the Romans and Corinthians. 1*l.* 4*s.*

Vol. III. Third Edition, containing the Epistles to the Galatians, Ephesians, Philippians, Colossians, Thessalonians,—to Timotheus, Titus and Philemon. 18*s.*

Vol. IV. Part I. Second Edition, containing the Epistle to the Hebrews, and the Catholic Epistle of St James and St Peter. 18*s.*

Vol. IV. Part II. Second Edition, containing the Epistles of St John and St Jude, and the Revelation. 14*s.*

Codex Bezæ Cantabrigiensis. Edited with Prolegomena, Notes, and Facsimiles. By F. H. SCRIVENER, M.A. Small 4to. 26*s.*

Wieseler's Chronological Synopsis of the Four Gospels. Translated by the Rev. E. VENABLES, M.A. 8vo. 13*s.*

"This opportunity may properly be taken of especially recommending to every thoughtful student this able treatise on the succession of events in the Gospel history . . . . . A translation of it would be a very welcome aid to the general reader."—*Bp. Ellicott's Lectures on the Life of our Lord.*

Bentleii Critica Sacra.

Notes on the Greek and Latin Text of the New Testament, extracted from the Bentley MSS. in Trinity College Library. With the Abbé Rulotta's Collation of the Vatican MS., a specimen of Bentley's intended Edition, and an account of all his Collations. Edited, with the permission of the Master and Seniors, by the Rev. A. A. ELLIS, M.A., late Fellow of Trinity College, Cambridge. 8vo. 8*s.* 6*d.*

A Companion to the New Testament. Designed for the use of Theological Students and the Upper Forms in Schools. By A. C. BARRETT, M.A. Caius College. Fcap. 8vo. 5*s.*

A general Introduction to the Apostolic Epistles, With a Table of St Paul's Travels, and an Essay on the State after Death. *Second Edition, enlarged.* To which are added a Few Words on the Athanasian Creed, on Justification by Faith, and on the Ninth and Seventeenth Articles of the Church of England. By A BISHOP'S CHAPLAIN. 8vo. 8*s.* 6*d.*

Butler's Three Sermons on Human Nature, and Dissertation on Virtue. Edited by W. WHEWELL, D.D. With a Preface and a Syllabus of the Work. Third Edition. Fcp. 8vo. 3*s.* 6*d.*

An Historical and Explanatory Treatise on the Book of Common Prayer. By W. G. HUMPHRY, B.D. Third and Cheaper Edition, revised and enlarged. Fcap. 8vo. 4*s.* 6*d.*

Annotations on the Acts of the Apostles. Original and selected. Designed principally for the use of Candidates for the Ordinary B.A. Degree, Students for Holy Orders, &c., with College and Senate-House Examination Papers. By the Rev. T. R. MASKEW, M.A. Second Edition, enlarged. 12mo. 5*s.*

An Analysis of the Exposition of the Creed, written by the Right Reverend Father in God, J. PEARSON, D.D. late Lord Bishop of Chester. Compiled, with some additional matter occasionally interspersed, for the use of Students of Bishop's College, Calcutta. By W. H. MILL, D.D. Third Edition, revised and corrected. 8vo. 5*s.*

Hints for some Improvements in the Authorised Version of the New Testament. By the late J. SCHOLEFIELD, M.A. Fourth Edition. Fcap. 8vo. 4*s.*

A Plain Introduction to the Criticism of the New Testament. With 40 facsimiles from Ancient Manuscripts. For the use of Biblical Students. By F. H. SCRIVENER, M.A. Trinity College, Cambridge. 8vo. 15*s.*

The Apology of Tertullian. With English Notes and a Preface, intended as an Introduction to the Study of Patristical and Ecclesiastical Latinity. By H. A. WOODHAM, LL.D. Second Edition. 8vo. 8*s.* 6*d.*

Æschylus, Translated into English Prose, by F. A. PALEY, M.A. Editor of the Greek Text. 8vo. 7s. 6d.

Aristophanis Comœdiæ Undecim, cum Notis et Onomastico, by the Rev. H. A. HOLDEN, LL.D., Head-Master of Ipswich School, late Fellow and Assistant Tutor of Trinity College, Cambridge. Second Edition. 8vo. 15s.

The Plays separately, 1s. and 1s. 6d. each.

NOTES, 4s.

Demosthenes, the Oration against the Law of Leptines, with English Notes, and a Translation of Wolfe's Prolegomena. Edited by B. W. BEATSON, M.A. Fellow of Pembroke College, Cambridge. Second Edition. Small 8vo. 6s.

Demosthenes de Falsa Legatione. Third Edition, carefully revised. By R. SHILLETO, A.M. 8vo. 8s. 6d.

Demosthenes. Select Private Orations of. After the text of DINDORF, with the Various Readings of REISKE and BEKKER. With English Notes. For the use of Schools. By C. T. PENROSE, A.M. Second Edition. Revised and corrected. 12mo. 4s.

Euripides. Fabulæ Quatuor, scilicet, Hippolytus Coronifer, Alcestis, Iphigenia in Aulide, Iphigenia in Tauris. Ad fidem Manuscriptorum ac veterum Editionum emendavit et Annotationibus instruxit J. H. MONK, S.T.P. Editio nova. 8vo. 12s.

Separately—Hippolytus, 8vo, cloth, 5s.; Alcestis, 8vo, sewed, 4s. 6d.

Lucretius. With a literal Translation and Notes Critical and Explanatory, by the Rev. H. A. J. MUNRO, M.A. Fellow of Trinity College, Cambridge. 2 Vols. 8vo. 21s.

Plato. The Gorgias, literally translated, with an Introductory Essay, containing a Summary of the Argument. By E. M. COPE, M.A. Fellow of Trinity College, Cambridge. 8vo. 7s.

Plato, The Protagoras. The Greek Text, with English Notes. By W. WAYTE, M.A. 8vo. 5s. 6d.

Plautus. Aulularia. Ad fidem Codicum qui in Bibliotheca Musei Britannici exstant aliorumque nonnullorum recensuit, Notisque et Glossario locuplete instruxit J. HILDYARD, A.M. Editio altera. 8vo. 7s. 6d.

Plautus. Menæchmei. Ad fidem Codicum qui in Bibliotheca Musei Britannici exstant aliorumque nonnullorum recensuit, Notisque et Glossario locuplete instruxit J. HILDYARD, A.M. Editio altera. 7*s*. 6*d*.

Propertius. The Elegies of. With English Notes, and a Preface on the State of Latin Scholarship. By F. A. PALEY, M.A. With copious Indices. 10*s*. 6*d*.

Sophocles. The Œdipus Coloneus of, with Notes, intended principally to explain and defend the Text of the manuscripts as opposed to conjectural emendations. By the Rev. C. E. PALMER, M.A. 9*s*.

Tacitus (C.). Opera, ad Codices antiquissimos exacta et emendata, Commentario critico et exegetico illustrata. 4 vols. 8vo. Edidit F. RITTER, Prof. Bonnensis. Reduced to 14*s*.

Theocritus, recensuit brevi commentario instruxit F. A. PALEY, M.A. Crown 8vo. 4*s*. 6*d*.

Passages in Prose and Verse from English Authors for translation into Greek and Latin; together with selected Passages from Greek and Latin Authors for Translation into English: forming a regular course of Exercises in Classical Composition. By H. ALFORD, D.D. 8vo. 6*s*.

Arundines Cami: sive Musarum Cantabrigiensium Lusus Canori. Collegit atque ed. H. DRURY, A.M. Editio quinta. Cr. 8vo. 7*s*. 6*d*.

A Complete Greek Grammar. For the use of Students. By the late J. W. DONALDSON, D.D. Third Edition, considerably enlarged. 8vo. 16*s*.

Without being formally based on any German Work, it has been written with constant reference to the latest and most esteemed of Greek Grammars used on the Continent.

A Complete Latin Grammar. For the use of Students. By the late J. W. DONALDSON, D.D. Second Edition, considerably enlarged. 8vo. 14*s*.

The enlarged Edition of the Latin Grammar has been prepared with the same object as the corresponding work on the Greek language. It is, however, especially designed to serve as a convenient handbook for those students who wish to acquire the habit of writing Latin; and with this view it is furnished with an Antibarbarus, with a full discussion of the most important synonyms, and with a variety of information not generally contained in works of this description.

Varronianus. A Critical and Historical Introduction to the Ethnography of Ancient Italy, and to the Philological Study of the Latin Language. By the late J. W. DONALDSON, D.D. Third Edition, revised and considerably enlarged. 8vo. 16*s.*

The Theatre of the Greeks. A Treatise on the History and Exhibition of the Greek Drama: with various Supplements. By the late J. W. DONALDSON, D.D. *Seventh Edition*, revised, enlarged, and in part remodelled, with numerous illustrations from the best ancient authorities. 8vo. 14*s.*

Classical Scholarship and Classical Learning considered with especial reference to Competitive Tests and University Teaching. A Practical Essay on Liberal Education. By the late J. W. DONALDSON, D.D. Crown 8vo. 5*s.*

Foliorum Silvula. Part the first. Being Passages for Translation into Latin Elegiac and Heroic Verse. Edited with Notes by the Rev. H. A. HOLDEN, LL.D., Head Master of Queen Elizabeth School, Ipswich. Late Fellow of Trinity College, Cambridge. Third Edition. Post 8vo. 7*s.* 6*d.*

Foliorum Silvula. Part II. Being Select Passages for Translation into Latin Lyric and Comic Iambic Verse. Arranged and edited by the Rev. H. A. HOLDEN, LL.D. Third Edition. Post 8vo. 5*s.*

Foliorum Silvula. Part III. Being Select Passages for Translation into Greek Verse. Edited with Notes by the Rev. H. A. HOLDEN, LL.D. Third Edition. Post 8vo. 8*s.*

Folia Silvulæ, Latine et Græce reddita, curante H. A. HOLDEN, LL.D. Coll. Trin. Cant. haud ita pridem socio Scholæ regiæ Gippovicensis Magistro informatore.

Foliorum Centuriæ. Being Select Passages for Translation into Latin and Greek Prose. Arranged and edited by the Rev. H. A. HOLDEN, LL.D. Third Edition. Post 8vo. 8*s.*

Kennedy (Rev. Dr). Progressive Exercises in Greek Tragic Senarii, followed by a Selection from the Greek Verses of Shrewsbury School, and prefaced by a short Account of the Iambic Metre and Style of Greek Tragedy. For the use of Schools and Private Students. Second Edition, altered and revised. 8vo. 8*s*.

Cambridge Examination Papers. Being a Supplement to the Cambridge University Calendar, 1859. 12mo. 5*s*.

Containing those set for the Tyrwhitt's Hebrew Scholarships.—Theological Examinations.—Carus Prize.—Crosse Scholarships.—Mathematical Tripos.—The Ordinary B.A. Degree.—Smith's Prize.—University Scholarships.—Classical Tripos.—Moral Sciences Tripos.—Chancellor's Legal Medals.—Chancellor's Medals.—Bell's Scholarships.—Natural Sciences Tripos.—Previous Examination.—Theological Examination. With Lists of Ordinary Degrees, and of those who have passed the Previous and Theological Examinations.

The Examination Papers of 1856, *price* 2*s*. 6*d*., 1857 *and* 8, 3*s*. 6*d*. *each, may still be had.*

A Manual of the Roman Civil Law, arranged according to the Syllabus of Dr HALLIFAX. By G. LEAPINGWELL, LL.D. Designed for the use of Students in the Universities and Inns of Court. 8vo. 12*s*.

The Mathematical and other Writings of ROBERT LESLIE ELLIS, M.A., late Fellow of Trinity College, Cambridge. Edited by WILLIAM WALTON, M.A. Trinity College, with a Biographical Memoir by the Very Reverend HARVEY GOODWIN, D.D. Dean of Ely. 8vo. 16*s*.

Lectures on the History of Moral Philosophy in England. By the Rev. W. WHEWELL, D.D. Master of Trinity College, Cambridge. New and Improved Edition, with Additional Lectures. Crown 8vo. 8*s*.

The Additional Lectures are printed separately in Octavo for the convenience of those who have purchased the former Edition. Price 3*s*. 6*d*.

A Concise Grammar of the Arabic Language. Revised by SHEIKH ALI NADY EL BARRANY. By W. J. BEAMONT, M.A. Fellow of Trinity College, Cambridge, and Incumbent of St Michael's, Cambridge, sometime Principal of the English College, Jerusalem. Price 7*s*.

Now ready, fcap. 8vo. price 5s. 6d.

The Student's Guide to the University of Cambridge.

Contents.

INTRODUCTION, by J. R. SEELEY, M.A.
ON UNIVERSITY EXPENSES, by the Rev. H. LATHAM, M.A.
ON THE CHOICE OF A COLLEGE, by J. R. SEELEY, M.A.
ON THE COURSE OF READING FOR THE CLASSICAL TRIPOS, by the Rev. R. BURN, M.A.
ON THE COURSE OF READING FOR THE MATHEMATICAL TRIPOS, by the Rev. W. M. CAMPION, B.D.
ON THE COURSE OF READING FOR THE MORAL SCIENCES TRIPOS, by the Rev. J. B. MAYOR, M.A.
ON THE COURSE OF READING FOR THE NATURAL SCIENCES TRIPOS, by Professor LIVEING, M.A.
ON LAW STUDIES AND LAW DEGREES, by Professor J. T. ABDY, LL.D.
MEDICAL STUDY AND DEGREES, by G. M. HUMPHRY, M.D.
ON THEOLOGICAL EXAMINATIONS, by Professor E. HAROLD BROWNE, B.D.
EXAMINATIONS FOR THE CIVIL SERVICE OF INDIA, by the Rev. H. LATHAM, M.A.
LOCAL EXAMINATIONS OF THE UNIVERSITY, by H. J. ROBY, M.A.
DIPLOMATIC SERVICE.
DETAILED ACCOUNT OF THE SEVERAL COLLEGES.

"Partly with the view of assisting parents, guardians, schoolmasters, and students intending to enter their names at the University—partly also for the benefit of undergraduates themselves—a very complete, though concise, volume has just been issued, which leaves little or nothing to be desired. For lucid arrangement, and a rigid adherence to what is positively useful, we know of few manuals that could compete with this Student's Guide. It reflects no little credit on the University to which it supplies an unpretending, but complete, introduction."—SATURDAY REVIEW.

CAMBRIDGE: PRINTED AT THE UNIVERSITY PRESS.